PHARAMUS
SIVE
LIBIDO VINDEX,
Hiſpanica Tragœdia.

Et Tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
HOR. de ART. POET.

by Th.: Shelling of St Johns C
Oxon

LONDINI,
Impreſsi ad utilitatem *Andræi Penneycook*. 1650.

LECTORI.

Habe tibi Tragœdiam, Lector, totam pol, quanta est, malum; inter varia cujus errata gravissimum puto, quod in lucem sit elapsa. Benè speravit, ut errores suos Nox una tantùm spectandos exhiberet; mox perpetua silentio involveret. Verùm inversa planè Fata sensit: dum nulla ostendere voluit illos Nox, nulla tegere. Unde tamen & à quo Numine pro tenebris diem, pro cereo solem accepit, non potes quærere, interim non Curiosus.

Cui Asteriſcum invenies præfixum, ſcias velim ſeorsim dicendum. Si cui à Tragœdiæ normâ deflexiſſe videar, ubi aliquantulum Comici inſeruerim, Vmbonem mihi porriget imperator artis poëticæ Horatius.

Verſibus exponi Tragicis res Comica non vult.

Et ſanè ſermones Comicos ſublimibus Iambi numeris alligare, perinde eſt, ac ſi quis tibiæ debitum carmen tubæ aptaret. Neq; eſt, quod vellat me ſeverior Criticus, dum veterum Tragicorum veſtigia paſſibus æquis non preſſerim: cùm enim privato tantùm theatro deſtinata fuerit ſpectaculum, par erat, ut patrij Genio theatri morem gererem. Sed quid ego defenſionem apud ingenuum? Nulla erroribus meis par eſſe poteſt excuſatio præter tuam, Lector, veniam. Vale.

Amicisſimo

Amicissimo Authori, quòd seriùs, quàm par erat, ingeniosissimum THIBALDUM luce & meliori aurâ donari ferat.

Qvin exi in auras. Sol timet Noctem? Rosæ
Violæq; flores germine occludent, malos
Ne fortè odores senserint? Nil interest,
Si pereat Herba, sive Telluris sinu
Maneat sepulta, aut invido pereat gelu:
Nisi quòd sepultæ certius fatum incubet.
Domi latere tutior nunquam potes.
Perijsset ipsis vagiens cunis Deus
Olim futurus, Patrios si non Lares
Fugisset infans. Latuit ah mundum satis
Musæ Britannæ *suavitas; brevibus nimis*
Arctata gyaris ambit orchestrâ frui
Augustiore. Ut damnat eloquium sui
Ionsoni, *& optat Patriæ hunc linguæ minùs*
Sapuisse Veneres! Profuit amœnus lepos

In damna tantùm. Nempe dum conchâ latet,
Latet sepulta gemmula. Incassùm Parens
Natura pretium contulit, magnâ sagax
Concoxit arte divitem massam, nisi
Voluisset ipsam conspici, & manibus teri.
Ergò, ut paterent omnibus, tectis Poli
Infixit altis flammeas Lucis rotas.
Natura num superba? Proh! Matrem tuam
Imitare. Metuis publicos ronchos, tuis
Quòd ipse rigidus? Phœbus *haud faveat mihi,*
Si te severus censor accurrat magis.
Quam vellet ipse Grotius, *Scenæ pater,*
Et restitutor veteris, hunc emptum libro
Toto Cothurnum! patitur exilium miser
ADAMVS *iterum, jamq; vel Mundum fugit.*
Totos Cothurnus Poplites *grandis tegit;*
Ipsumq; Senecam *plus tuo* Senecâ *sapis.*
Novus Lycophron *intonas, nullâ tamen*
Nube involutus. Palladi *armata tua*
Similis Thalia; *pulchra, sed nervis potens,*
Soccoq; pariter serpis, ut nec Comicè
Magis Afer *unquam: haud olaudus incedis tamen.*
Tragœdia en te vendicat totum sibi;
Te Musa totum Comica: & neutram refers,
Et utramq; totus. Ianus Heliconis *clues.*
Pernassi *utriq; culmini infigis pedem*
Colossus ingens, duplicis scenæ stupor.

At ipse damnas, invidus fame tue,
Prolem tenellam, nomen & prodi vetas.
Sic nube densâ fulminat clausus Tonans;
Et dum verenda Delphicus *mittit Pater*
Oracla, tectus plurimo velo latet.
(Meruisse pudeat, laude si pudeat frui:
Quicunq; famam metuit, est meriti reus.)
At non latebis: (nempe vel totis nequit
Fulgens metallum Montibus condi satis.)
Teq; assequetur Fama, quam in tantum fugis.
Rivum viator gratus, ubi relevat sitim,
Sertis coronat, cujus ignorat caput.

GUIL. CREED. Ioan.

Autori, in suum *Vindictæ Ingenium*, de Tragædiâ & Musis optimè meritum.

Dic suavissime, dic Amice, Quod vis,
Facundissime dic poëta, Munus
Reddatur tibi? Num placebit Hircus?
Hic quidem Tragicis dicatus olim.
Verùm Armenta mihi, gregesq; nulli,
Nullus vir gregis est, gregisve conjux,
Barbati pecoris pilusve simplex.

Nec multùm interierit, cùm inepta planè est
Merces, Bucolicæ aptior Camenæ,
Quæ juncos modulatur atq; avenas,
Et non tam canit, ac miſella ſtridet.
Hircus Capripedum pecus Deorum eſt;
Acceptus Satyro, leviq; Fauno,
Seu quotcunq; alij ſacrum pererrant,
Sub curâ, nemus hinc & inde, Panis:
Tu Vates tamen & Tragœdus audis
Paſtores ſuper & ſuper bubulcos,
Si qui aut Virgilio *obviàm, aut* Homero.
Sin leges veteres Nefas refigi,
Regium ecce tibi litamus Hircum;
Quem tu hoc carmine jure & ipſe mactas.
Ecce enim Pharami *vides cruentæ*
Ne ferrum deerit neci, faceſq;
Ferrum fax erit, ipſa faxq; ferrum. Act. 5. Sc. 8.
Qui ſaltem hoc habuit boni ſpeiq;
Quòd Laurum moriens Tibi reliquit.
At ſi præmiolum hoc tuæ poëſi
(Doctæ Iupiter! & ſatis politæ
Non ſolâ Ingenium indolemq; fronte
Sed medullitus, intimè loquenti)
Impar ſit nimiò nimis, tueq;
Muſæ viliùs æſtimetur; Eccam
Atq; illam tenerâ Iulitta *fronte* Sc. 6.
Quam geſſit Pharamo *aſſidente, virgo,*

Malo

Malo dedecus & decus Tyranno.
Eccam inquam! Neq; frons revincta tantùm
Sit Lauro viridi; volo atq; Amictam:
Phœbi Ipsas adeò merêre sylvas!
Quòd si fortè rudes nec hîc placemus,
Ipsam, quod superest, habe & Iulittam,
(Modesto benè convenit modesta)
Quâ fruêre dolente nec Thibaldo:
Quippe te sacer hic jubente Rex est,
Et felix potuit, jubente Conjux.

I. Goad. Ioan.

Ad Amicum Authorem in Ingeniosiſſimum illud Drama *Vindictæ Ingenium*.

A Mice:
Et ô si animæ dimidium,
O si totum meæ!
Sed tam culti, heu! (ignosce, ut soles, mihi invido)
Tam culti quota pars, pars quota sum ingenij!
Liceat ergo pauxillulùm de te queri; (vinculum
Sacrum utiq; quo laxetur, quo solvatur amicitiæ

Novum

Novum excogitasti cuniculum;
Iniuriis alii æquitatem amicitiæ,
Tu meritis trangressus es:
Quibus pares nos fore desperandum puriter,
Et tibi Amicos:
Nec iam te amamus amplius,
Sed miramur, sed stupescimus:
Ita post Apotheosin solitur non amatur Iulius.
Succurrito tamen;
Multum etenim potes, qui Te poteras talem effingere:
Comitem itaq́, quem mereris, Pisanum *tibi*
Aliquem vel Thibaldum *elige;*
Aut me tuum, qui istos,
Qualis Pisanus, *qualis* Thibaldus *est, effice.*

Iambe, nunc Iambe post Senecam *tuum*
Redivive primum; Macte, Iô: quonam rogo
(Cum tot ruinæ, stupraq́, & tantus cruor
Nusquam locorum, Tragice, defuerint tibi)
Placuit diù dormire? num iustum, quia
Fœlicia adeo scelera & impunè horrida,
Puduit referre nostra Te? Num quod Polis
Volventibus, Diisq́, orbium, haud placuit priùs
Senecam *renasci? Naniis ergo (malè*
Emasculato carmini) addicti diù
Ecquando rursus canimus, ecquando melos
Instar Virorum? nempe tam grande hic tonat,

(Mercurius

Mercurius utiq; iactat & tonitru ſnum)
ptare qualem tympano cantum poteſt,
ubeq; carmen; Ille ſic olim pedes,
Non arma doctus, Ille Tyrtæus ſuis
Preit poeta militans, & dum modos
Magis ſonoros claſſico cecinit, ſimul
Hortatus eſt ad prælium, & victoriæ
Modulatus eſt Pæana; at ô paritèr graves
Suaveſq; paritèr clauſulas! poſthac lues,
Et parricidia, funera & raptus iuvant;
Deos precamur dira; Terroris minùs
In ſcelere, quàm dulcedinis in huius metro:
Quantum voluptas hæcce lugubris placet?
Mutus ſubibit inferos poſthac olor,
Epicedia tibi, Amice, demandans ſua:
Qualemq; canere maluit muſam, dies
Occludet, audiendo: ſed quantas tuæ
Initio famæ laude præoperâ moras!
Te potius utiq; laudo, cum patiar legi.

RICH. PAYNTER. Ioan.

Ad

Ad Ingeniosissimum Authorem,
Qui Iam diù suppressam tandem exhibet Tragœdiam.

Avlæa nondum dimoves? nondum sinis
Prodire Pharamum? *quid gravi crucias morâ*
Spectantis oculos? sat diù latuit tui
Meritum cerebri. Fuertiæ distat parum
Pudibunda virtus. Ipse Musarum Deus
Vatum suorum nolit ut lateat labor:
Et Lucis, *&* Poëseos *audit pater.*
Quin ergo prodi (timide) tua nondum satis
Tragœdia *est, ni fiat &* Spectaculum.
Ah! Quid recentem supprimis prolem? feræ
Meretricis *est, non* Matris *in Cunis suam*
Opprimere sobolem. Non amas fœtus tuos?
Expone mundo: Nemo non vellet suos.
Quin ergo prodi; larva non faciem decet
Adeò venustam; pulchriùs fulgent suâ
Vel Nuditate Gratiæ; Informis Diem
Bubonis *est odisse, non* Aquilæ *: speeus*
Latebrasq; quicquid quæritat, monstrum sapit.

Avar

Avare nimiùm! divitem massam sinu
Terra recondis? Nempe non fiunt suo
Sine sole gemmæ, Luce nec splendent suâ.
In Auribus gestanda, non Conchâ rudi
Tegenda talis unio *est. Gemmam vide*
Hispana Tellus, *quæ tuas viles facit,*
Et non petitam ab Indijs! *Quantus Tuæ*
Tragediæ proh quantus assurgit Decor!
Qualesq; Veneres protulit Pharami *venus!*
Tenebricosum sic parit formam Chaos.
Horrore quali conscìam mentem tuus
Almundus effert? penè dixissem reum
Vel Te fuisse; scribis, & pateris simul.
Quàm fascinabit Saga *lectorem! omnia*
Stupemus hæc; his omnibus majus tamen
Stupemus unum; scilicet Talis patri
Poëmatis latere quod placuit Tibi.
Sic Nilus *undâ fertili* Ægyptum *beat,*
Suum at patere Nemini voluit caput.
Nec aliter orbi qui dedit prudentiæ
Specimen, Vlisses, *Ounc imposuit sibi.*
Verùm haud latebis, scripta tua quisquis leget,
Capiti Coronam quam nequit, cerebro dabit.

GVIL. WALWYN. Ioan.

Ad

Ad Authorem, in ipsius Tragædiam *Cui Titulus*

VINDICTÆ INGENIUM.

SAlveto Tragici non ultima fama Cothurni;
Nomine seu *Senecæ* gaudes *Sophocliſve*; colemus
Quod fari haud liceat nomen: pietate calentes
Quamvis ignoto libemus munera Divo.
Macta hircum: sparso tingantur cornua vino;
Succingant aras hederæ; cultrumq; Sacerdos
Supponat jugulo: reſoluto gutture sacro
Mergatur fuſo madefactum altare cruore.
Non Vatem Tragicum veneror, sed Numen; honores
Noscit Scena novos; geminosq; Tragædia *Bacchos*.
Non scripsit Veteti venas implente *Lyæo*,
(Ipse novus *Bacchus*.) sed plenus numine sacro;
Numen & ipse sibi: proprioq; exarsit ab igne
Ipse ignis: (paritérq; agitante caleſcimus illo.)
Sic fertur pulchrâ conspectâ *Daphnide*, *Phœbum*
In flammas abiisse suas: Sic cedit *Amori*
Ipse *Amor*, & propriis ardent præcordia flammis.
Carmina scripsisse haud dicam: mysteria sacra

Hæc

Hæc vocitare libet; tantùmq; Authore minora.
Myſtes evadit Vates: myſteria gaudent
Involvi tacitis tenebris; lucemq; peroſus
Ipſe pater lucis, ſolem declinat *Apollo*.
Hinc eſt quod tenebris oracula *Delphica* Vates
Accipit, atq; imo reſpondet *Phœbus* ab antro.
Plus noſter vates: noſtras quò tutius artes
Aufugeret, ſine nomine adeſt; tenebriſq; volutus,
Hoc tantùm notus, nullo quòd nomine gaudet.
Sic ſolet *Eois* emergens *Phœbus* ab undis
Ignitos tacitè radios tranſmittere, & orbi
Impertire diem: Sic mollis depluit imber,
Et multo teneras irrorat nectare plantas.
Aurea ſic quondam cùm terram ſæcla beabant
Surgebant taciti flores; & murmure nullo
Flumina depictis libabant oſcula ripis.
Vindictam Vatis laudo; proſpexit, acutæ
Vt linguæ virus fugeret: jam nil valet ultrà
Chartas Momus edax; cum quo vel tinea prædæ
Sortitur partes æquales: invidus iſtas
Dilaceret digitis; & rodat dente maligno.
Interea procul inſano ſemotus abore
Ridebis tacitè Furias; nec fata ſubibis
Donec *Vindicta Ingenium* ſupereſſe negatur.

Dulcis amice, tuum non hæc Encomia nomen
Ornabunt: nomen ſupprimis ipſe tuum.

At cur tam tacitè placuit prodire? Modestum
Quas meruit laudes vel meruisse pudet.

PETRUS MEWS *Ioan.*

Ad Authorem.

AMice, cur tenellulam prolem premis?
Hoc parturire est, potius an tumulo dare?
Suum Poema agnosceret Phœbus: *parem*
Haud peperit unquam Palladem *cerebrum* Iovis.
Quid si tenellæ fœtus ætatis fuit;
At certè adultum & vividum ingenium sapit.
Verè ô beneficus! Munere hoc mundum beas,
Tantaq; largitatis Authorem taces.
Sic nempe decuit. Publico, haud famæ litas.
Obstetricantis non patroni postulat
Nomen verendum: nempe Patronus sibi est.
Totum per orbem qui legi meruit liber,
Toto meretur orbe Patrono frui.
Macte ergo, Mome, livido morsu vora:
(Mordere summa nempe livor assolet.)
Damnare si vis, redde par carmen; tuæ
Vindictæ *& istud, livide,* Ingenium *cluet.*

ARTHURUS AMHERST *Ioan.*

Dramatis Personæ.

Pharamus Rex *Arragoniæ*.
Thibaldus Frater *Pharami*.
Velascus Patruus utriusq;.
Pisanus Hæres *Florentiæ*, procus *Olindæ*.
Domingus, *Dion*, *Gomera* } Aulici, à partibus *Thibaldi*.
Almundus personatus *Leon*, interfector *Alfonsi*.
Strumbus, *Gryphius* } Stigmatici, conducti à *Velasco* in necem *Thibaldi*.
Flamines.
Servi.
Saltitantes.
Alfonsius Rex interfectus. Pater *Phar. Thib.* & *Olindæ*. Cujus fit mentio.

Olinda soror *Phar.* & *Thibaldi*.
Inlitta Amasia *Thibaldi*.
Erifila Venefica.
Fæminæ ancillantes.
Chorus.

Scena *Iberiæ*, aliàs *Arragoniæ*.

ARGUMENTUM

PHaramus, Rex *Arragoniæ*, imperii sitientissimus, *Alfonsum*, patrem suum, veneno è vivis sustulit. Rem egit per *Almundum*, *Alfonso* à poculis. Verùm scelus non erat salvum *Almundi* animo: sontem egit cogitationem. Ea-propter *Thibaldo*, *Alfonsi* natu minori, quicquid factum sit, narrat. Erat *Alfonso* frater gemellus minor, *Velascus*, qui acerbè tulit imperium in fratris prolem, nec in sese descendere: Igitur diu quid sibi faciendum sit dubius, tandem de tollendâ prole, quæ trina erat, cogitat. Illoq; consilio acquiescit, ut bini fratres mutuis perirent manibus.

 Fingit

Fingit ergò se *Iulittæ*, *Thibaldi* amasiæ, amore teneri, amplissimisq; coram *Pharamo* illam effert laudibus; ut inde amores illi excitare posset: quod ex animo cecidit: *Pharamus* enim seriò illam deperire cæpit. Mox pium simulans furorem *Thibaldo* amores *Pharami* aperit. Paucis. *Thibaldus* patris cædem, suasq; injurias duplici arte (per amicos) ulcisci conatus est. *Pharamus* verò & duplicem elusit artem: jamq; ex periculo sapiens factus, totam ulciscendi spem *Thibaldo* præripuit, cavendo. E contra *Pharamus*, quò tutos dare posset *Iulittæ* amplexus, mandavit in curam *Velasco Thibaldi* necem, quam ille per veneficam tentavit. Mox Venefica (quasi diis nolentibus ut pereat *Thibaldus*) cessit è vivis, sanumq; *Thibaldus* rediit in hominem. Interea *Velascus Olindam*, *Alfonsi* filiam, deambulantem de more suo in saltu miles personatus occidit. *Olinda* fortè inter luctandum illi abrupit gemmam, quam postea dum *Thibaldus* invenit, satis constitit de *Olindam* interficiente. Gliscit usq; amor *Pharami*: *Iulittam* usq; muneribus, votisq; sollicitat. Illa verò inexpugnabili

castitate

astitate repulit, quæcunq; tela *Pharami* amor orsit. Is tandem *Thibaldo* (lat callenti Genim *Pharami*, nempe quod magnis illam excieret triumphis) animus erat, ut victam se *Iuitta* simularet. Ergo choream instruit: quam ducunt nobiles quidam, ipsius à partibus fatii: quibus sub piæ gratulationis specie accedentibus, liber patuit ad *Pharamum* aditus. Saltitant: dumq; in certum se componunt numerum, gladios, quos in facibus artificiosè obscondissent, eximunt, & pars *Pharami* pectus transfodiunt, pars injiciunt *Velasco* vincula. Sic uterq; dignas scelerum luunt pænas,

Errata sic Corrige.

Pag: 53. lin. 10. lege, O *Iberia.* P. 62. l. 6. l. tantus. P. 80. l. 1. l. *Iberorum.*

VINDICTÆ INGENIVM.

Actus Primus.

Scena Prima.

Duo Flamines. Phar. Thib. Olind.
(Alm: intùs.)

1 *Flam.* Religio noſtra poſcit ad tumulum patris
Vt, qui ſuperſint liberi, nono die
Sacris litarent: Nonus illuxit dies,
Maneſq; ritus exigunt fieri ſuos.
Adeſte: vota marmoris ad aram pia
Afferte: veſtras quin priùs luſtrem manus.

2. *Flam. Canit.*

Odit ſicca funus juſta,
Oculi rorans marmor buſta
Amant: lachrymæ ſunt luſtralis
Vnda, cultus quâ feralis
Gaudet: cor lapideum prolis
Quantum tumulo confert molis?

Phar. Heröis Vmbra, audire ſeu placeat magis,
Princeps, & Heros Vmbra; pauliſper vaca,
Et Filiorum ſupplices audi preces;
Quas ex amore fundimus, non patrio
Ritu imperante: colere monumentum patris
Innata nobis illa Relligio docet,
Natura. Linguæ ſi parùm credas meæ,
Appello teſtes languidum luctu caput,
Dapes fugatas, exules ſomnos: diem
Interroga, noctemq; (proh miſero mihi
Vtramq; tenebras!) fata quàm flêrim tua.
Vultum intuere: Non gero quos pendulus
Galerus oculos tegeret: internos mihi
Penetra receſſus cordis; explora, velit
Quicquamnè *Pharamus* præter *Alfonſum* patrem.
O ſi eſſet aliqua Res tuum Nomen, Sonus
Nec tantum inanis! quos ei amplexus darem!

Quàm

Quàm uſq; oſculer! Quod datur, cineres piis
Aſpergo lachrymis: ſi tamen me crederem
Hæc Morte ſatiùs exequi ſolennia,
Dextera repentè pectus aperiret meum,
Feriens Sacerdos caderem, & occiſa Hoſtia.
Papaver (Vmbris, buſta quæ reſerant ſua,
Nocteſq; vigiles protrahunt, munuſculum
Non reſpuendum) Manibus voveo tuis.
Hinc diſce, placidos cupere me ſomnos tibi.
Alm. Audita nondum ſcelera! an inficiet Patris
Vmbram veneno? cur velis ſomnum, liquet:
Ne mille facibus erret in pœnam tibi.
Thib. Ego ſecundus cinnamum, caſiam, crocum
Arabumq; odores pono; quò teſter, tui
Memoria, quàm ſüave ſit fragrans mihi.
Olind. At Virgo tumulum floſculis ſterno tuum;
Quos, veſte durâ, pedibus & nudis vagans
Peregrè, remotâ valle decerpſi. Roſa
Non abſq; ſpinis hæc mihi crevit ſüis.
Viola, ut redirem, tenue dimiſit caput,
Nutuq; mortem adeſſe monſtravit ſuam,
Vix lachrymis revocare potuiſſem meis.
Hos inter, Vmbra Mollior, lenem cubans
Ducas ſoporem: creſcite hic, flores, precor,
(Nec lachrymæ ros deerit, efflebo indies)
In literas coite conſenſu pari,
Vegetanſq; noſtro ſcribite, *Hic ſitus eſt*, patri.

1. *Flam.* Ingrata pietas esse defuncto graves:
Sat est; litatum est: Manibus liceat frui
Votis, & ista sinite nunc adsit quies,
Quam sic vocâstis. Vmbra, per virgæ sacros
Orbes jubemus, busta ne excedas tua:
Ne templa per silentium noctis, sacras
Gradu procero ne petas luci vias,
Quo sis alicui terror. Exegi sacra:
Clamemus unâ voce, *Perpetuum vale.*

Exeunt Omnes.

Prodit Almundus.

SCENA 2da.

VT inam Hoc liceret dicere angori meo!
Osceleris horror! quàm gravis facti malè,
Fecisse pæna est: viscera perurit dolor,
Pectusq; cædit viperis justus furor.
Almunde quid te fiet? ah! quonam pedes
Confers? in urbem? prospice saluti tuæ,
Rubor ora tinget. (Non solet inanis rubor
Genas viriles tingere.) astantes petent,
Quid facit in istis sanguis *Alphonsi* genis.

Sylvas

Sylvas, eremos adeo: Non opus hoc agam,
Apud me eremus, ſylva. quot, quales feræ
Veſcuntur hic, portenta vel & Africæ nova!
Africa timorum monſtra, curarum lupos,
Sævamq; Tigridem conſciæ mentis fovet?
Quod, Fata, tempus ponitis finem malis?
Diemne? ſed lux renuit. Inviſum jubar
Diſtendit, unà (heu!) tædia ut poſſit mea.
Sol non Beneficus, ſed mihi Vindex micat,
Et luce, quam non meruit, exprobrat ſcelus.
Noctemne? ſed Nox renuit atrorem ſuum
Intendit, odia paritèr ut poſſit mea,
Tenebriſq;, ſed quas meruit, exprobrat ſcelus.
Miſerè ſat habeo! Dii boni! haud noctem! haud diē!
Perpetuus ægro ſenſui torpor ſedet,
Nec fas tamen dormire: nimirùm meos
Aut veritus oculos fugit, aut odit ſopor.
Cum ſomnus oculos claudat, haud blandam mihi
Præſtat quietem: ſpectra ſudanti exhibet:
Nunc Strix, deinde rauca Nycticorax levi
Verſatur animo. Sequitur has vultu horrida
Mors, Noxq; ſqualleus, invicèm dantes manus.
Succedit his imago Tartarei ſpecûs.
Aſt ultimò (nam ſpiculum caudâ latet)
Apparet umbra (proh ſacerdotis leves
Cantus!) perempti regis, & pondus mihi
(Sit aura quamvis) Pelio gravius ſedet:

Quid jam poteſtis, nummuli, in requiem meam?
Faceſſite procul: veſtis hæc juſtè rubens,
Vtpotè duplicitèr purpura; artus exedit,
Tunica & moleſta eſt: exuam, & vultus novos
Sumam: mihi-ipſi ſi novos, fælix ero.
Mutabo ſcenam; morior *Almundus, Leon*
Vivo, ſimulatâ certam ut eludam necem.
" Lex eſt tyranni, ut cædis authorem opprimat.
" Pereunte ſceleris conſcio eſt tutum ſcelus.
Cur anima puritatis hic aſtas meæ?
Quid, ſancta, tibi vis? Vltionem. Sufficit:
Qui te peremit, perimet hæc *Pharamum* manus;
Fieriq; ſacris quod ſolet Saturniis,
Cædem expiabo cæde. peccabo, ut pius
Exaudiam, & qui ſimplicis tantùm reus
Deſpero, ſcelere duplici evadam innocens.

Exit Alm.

Piſanus, Olinda.

Scena 3ª.

Piſan. VNde eſt, quod auram nubilas ſuſpiriis
Olinda, noctis & ſupercilio color
ſedet? doloris indica cauſam, tua

Et

Et per labella juro, (jurantem decet
Rem basiare quâ sibi jurat) libens
Cuicunq; fato occurram, ut ulciſci queam.
Profusi ab oculis damna Chryſtalli tuis
Totidem pyropis ipſe reſtituam, meo,
Tui vel hoſtis pectore elicitis. doles?
Apage! etiamnum? lucis ac orbes humi
Figis? *Olind.* Recepit patrem Humus. Video piè
Num tractet illum. Tune ſubiiſti necem
Piſane? *Piſan.* Subii.* proh do lor! grato minus
Vultu & repulſis millies perii tuis.
Olind. Quid agitur umbris? *Piſan.* Blanda, cur iſthoc
rogas?
Olind. Nolim Megæra ſibilo patris latus
Cædat flagello. *Piſan.* * Gravius amentes furunt,
Niſi mos geratur, his adulari licet
Probitate ſalvâ. Vanus abſcedat timor.
Sedes beatas habitat, Elyſias, pater.
Olind. Princeps quis audit ſedis Elyſiæ? *Piſ.* Tuus
Pater. *Olind.* Venenum an illa producit plaga?
Piſa. Has quæſtiones mitte: nil noxæ parit.
Salubris herbas terra manſuetas alit, ----
Quin reprime gemitus, impios forſan: patrem
Obiiſſe ploras? Ergo deploras patrem
Abiiſſe, *Zephyrus* Ver ubi æternum facit,
Sedes amænas colere, fælices locos.
Illâc agrorum germinant ſuaves Roſæ

Molleſq; Violæ. Lilii puræ nives
Hâc parte reddunt lacteam & terris viam.
Æquoreus ille campus haud alio fuit
Conſpectus ore, candidus ſpumâ, Venus
Ex quâ habuit ortum. *Olind*: Creſcit Elyſio ſalix,
Crepitant nitidulo rivuli argento pares,
Cantantq; olores? *Piſ.* Omnia. *Olind.* Quis animus tibi
Erat *Piſane*, quòd reliquiſti locos
Tam ſuavè habentes? *Piſ.* Nempè tu Elyſium mihi es.
Olind. Mox adero, nam formidone noceant patri. [*Lachrymatur.*]
Piſan. O quàm ſtupendam perdidit formâ dolor!
Solium ruboris pallor obtinuit, Roſa
Vbi imperavit, Lilium invaſit genas.
Sic flevit, ac ſi mille perdiderat Patres
Alfonſo in uno, nec tamen flevit ſatis.
Addit ſtuporem fletibus, & Vmbram colens
Evadit Vmbra: jamq; deliquium, brevem
Adeòq; mortem paſſa, ſuſpirat, gemit,
Ac ſi reverſam plangeret vitam. Oſcula
Mox blanda figit marmori: ac tandem videns
Nec oſculis mollire ſe lapidem, ſtupet
Iterum ipſa, gemino & marmore obtegitur Pater.

Ad hos Thibaldus.

SCENA 4ta.

Thibal. PIsane, quàm complexibus propior mihi
Amore. Tabula es, lineas virtus suas
Quâ duxit omnes. *Pis.* Vnde digna aderunt mihi,
Cum te æstimarem, verba? qui vastum mare es,
Cui Gratiarum singuli obtulerint sua
Fontes tributa. Fulgur ut pernix ruis
Medios per hostes. Millia virorum fugæ
Vnus dedisti. Fulgur hinc etiam refers.
Sic urit audax ora, in auxilium sibi
Nullo sequenti fulmine: haud temerè necem
Spreviſti, in illam non satis Virtus potest,
Fortuna ---- *Thib.* Loqueris, debeat qualis tuus
Amicus esse. Corripis pulchrè meam
Ignaviam, Pisane; nempe operam dabo
Quò vera narres. dextra non penitùs mea
Torperet, hanc si fama obarmasset tua.
Vbinam at *Olinda* est? *Pis.* Illius statuam vide.
Thib. Nullumne pones lachrymis finem, soror?
Speculum intuere: quàm decet mœror, vides.
Eia ergò *Olinda*, vive; perituram genæ

Honorem

Honorem,& oris marcidum revoca decus;
Ne domina,(quam vincendo pulchellam, decèns
Nam victa rubuit: quamq; deformem tua
Fecit venuſtas;nempe te visâ lepos
Effugit omnis) plaudat,exultet,nitor
Ille obſtupendus, ille quod victrix decor
Emarcuit,defluxit. *Olind.* E conchâ ratem
Fabricabo cochleæ,perq; Borealem plagam
Et Occidentem,dirigam claſſem meam
Ad inſulas Anticthonum. *Thib.* Hic ſermo novus.
Olind. Quin permeavit hâc pater. Servus mihi
Citiùs ligones afferat: ſagam interim *Exit Olind.*
Adibo,fiam ut talpa *Thib:* Quid poſcit ſibi?(dolor.
Piſan. Mentem (heù) ſororis rapuit immodicus
Iam mira fundit verba, mox mirùm tacet,
Cæptamq; finit clauſulam ſuſpirio.
Tum flumina petit,inter & ſcirpos ſedens
Ipſius ergô lugubres fingit ſibi
Cantare olores. plurimas grates agit,
Illiſq; contrà triſtiùs recinit: Melos
Iuxta occinebat paſſer innocuum (quaſi
Placuiſſe cuperet) illa at increpuit gravè,
Quòd mœſtiores nempè non fudit ſonos,
Nec ut ipſa cecinit, atq; olor. thalamos loquor;
Et de venenis habeo reſponſum; meos
Cum refero amores,verba de buſtis facit;
Cupidinemq; (ſicut olim fabula)

Pro

Pro morte ſumit. hic agens diſto tuâ
Plus à ſorore, patrios olim lares
Quàm cùm tenerem. *Thib.* Pereat, ah! talis fides.
Amore quanto fœminæ vultus ſuos,
Quanto juventam diligunt, quanto--- modus
Sermonis impar illius amori eſt. *Piſ.* Minor
Vt qui ſit omni verbulo. haud mutus, ſimul (lor.
Ac cœcus Amor eſt. *Thib.* Impedit amorem do-
Piſan. Amor dolorem vincit. *Thib.* Et vincat
I, poſce; *Pharamus* nuptiis faveat tuis, (metum.
Et te maritum crede. *Piſ.* Quid reddam tibi?
Dono meipſum, at vile ſum munus nimis.
Exit Piſan.

Thib. Laudemné potiùs meruit, an culpam ſoror?
Hæreſco dubius. Iuſta lachrymarum patri
Diem in ſtatutum facere, Naturam indicat
Mollem & tenellam: damna dum nutrit ſua,
Fletum & laceſſit, contumax eſt, non pia.
Dic, Anima patris, ſi tibi cordi eſt Furor,
Eſt & *Thibaldo* pectus innumeri gerens
Semen furoris.

Ad

Ad hunc Alm: personatus.

SCENA 5ª.

Alm. SEmen erumpet foras
Ipsum in furorem, verba cum audiêris mea.
Thib. Paratus asto: fare. Non gravius potes
Dementiâ Sororis, & fato Patris.
Alm. Vah! levia quereris, præpara, & muni tuas
Aures, *Thibalde:* fulmini horrendo parem
Exonero vocem. Non tremis? at artus tuos
Mox rapiet horror multiplex, stabit coma
Arrecta, ut illa Segetis; haud sanguis fluet,
Et mille febres ossa concutient tua.
Thib. Si res gravabit ipsa, cur pompâ enecas
Sermonis hujus? *Alm.* Eruat gladium manus.
Enarro cædem. *Thib.* Genie defendas bone!
Cædem? *Alm.* * Ergo verbi pondere unius levor.
Thib. Cujus, malum omen? *Alm.* Admove, flam-
Non anima divinatur & reliquum tua? (mas, cruces:
Proh stupida! cujus? O tace: haud tutum rogas,
Nam si parietes audiant, solvent (tremo)

Cœmenta,

Cœmenta, compageſque dirumpet lapis,
Vindice tumultu ut corruens juſto premat
Vtroſque fato. *Thib.* Nil tamen verbo potes
Noctu parato. Siquidem huc tuleris pedem,
Referre tutam non erit. Strictum vide
Gladium: quin ergò fare, nî cupias mori.
Alm. * Cum dixerim, merebor occidi magis.
Oh--grande nimium eſt. *Thib.* Vin' opem ferro
ſtruam?
Alm. Tuus pater---- *Thib.* Procede. *Alm.* Ne
ſcito. *Thib.* Cave.
Alm. Optabis at neſcîſſe. *Thib.* Non. *Alm.*
Cœſus fuit.
Thi. Quò priſca virtus fugit? haud tantum mihi eſt,
Quantum Columbæ jecoris: iraſci excidit,
Nil fellis intus: aliàs hic mucro feris
Tuum dediſſet corpus, atque avibus. Pater
Cœſus? Barathro falſius. Tam lenitèr
Et ſobriè regnavit, ut non ſit, mori
Qui poſſe voluit. Cœſus? Effare ocyùs
Mercede quânam ductus oblatras patris
Famæ. *Alm.* Quid inquis? Egon', ut oblatrem patris
Famæ tui? *Thib.* Imò. Principem occiſum loqui,
Malum fuiſſe, vel Tyrannum dicere eſt.
Alm. *Alfonſus* an tyrannus? O dictu ſcelus!
Quis molliori ſceptra vibravit manu?

Nempe

Nempe huic, apumque principi nullum dedit
Aculeum Natura. Præcepit ſuis
Recta agere populis recta faciendo: licèt
Summus dominio, major exemplo fuit.
Dum vixit ille, Patria, quid deerat tibi?
Vox arcta! Quid non aderat, ut plenè fores
Beata? pax deſcendit, aſſimilis Iovi,
Aurato in ulnas imbre. Sed quonam? Dolet
Talem fuiſſe. *Thib.* Forma laudandi nova eſt.
Iuſtum fuiſſe principem *Alfonſum* dolet?
Alm. *Thibalde* cruciat. ille quò cælum magis,
Orcum ipſe merui. *Thib.* Mente ſpoliatus tuâ
Te magna fari oracula ut credam cupis.
Alm. Hæc toxicum porrexit *Alfonſo* manus.
Thib. Abi hinc, ſceleſte: cùm ſit in votis mori,
Speras ſuperbè noſtra te tollat manus.
Tu virus illi? *Alm.* Siquidem *Alfonſo* fui
A poculis. *Thib.* Vah! Carnifex effrons! pius
Dilexit adeò *Almundus*, ut nollet patri
Vivere ſuperſtes. Obijt---- *Alm.* Haud totus. Vide
Partem relictam. *Thib.* Proh Styga & furias ſtygis!
Num vera narras? *Alm.* Vanus ô Vtinam forem!
Thib. Ergòne (larvam detrahas linguæ ſimul)
Almundus ille es? *Alm.* Ipſe. *Thib.* Quin proles
Tigridiſque. quo jubente patraſti ſcelus? (lupi es
(Nec enim ipſe quicquam ex morte potuiſti patris
Sperare) *Alm. Pharamo. Thi.* Frater hoc juſſit meus?

Hoc

Hoc frater? (at not frater eſt. ſylvas petat,
Feras & inter quærat affinem ſibi.
Ego tantum ab illo diſto, quantum ille à ſuâ
Virtute.) *Pharamus? Ille qui ſi crederet*
Se morte ſatiùs exequi ſolennia,
Dextera repentè pectus aperiret ſuum.
Qui vel per imbres lachrymas fudit pius,
Non guttulatìm, tumulo & imminuit patris
Vt gravida nubes. Illen'? O fatum! mihi
Quotcunque Cœlum filios olim dabit,
Moriens eorum quemque conficiam, meo
Ne lachrymas ſuperſtites buſto darent.
Alm. Vbi? Quo receſſit priſtinus dextræ vigor?
Thibalde, qnid agis? Fodere cur dubitas ſinum?
Tuas deos tardare ne credas manus.
An membra ſcindet orbe precipiti rota?
Furcæ an peramplæ deſtinas? Fiam lupis
Canibuſque præda? Vivus an terræ dabor?
Vtra harum? an omnes? Proh taces! pœnas mihi
Nec ad loquendum fortis? an factum placet?
Redde ergo meritum. *Thib.* Vota te tradunt mea
Dijs puniendum, & conſciæ menti. *Alm.* Tege
Ferrum, *Thibalde*: ſœviùs parcens noces.
O quàm mori difficile commerito mori!
Thib. Abſcede peſtis gratior vultus mihi.
Alm. Fugio, *Thibalde*, fugio. Iam noſter gravat,
At non gravabit vultus, *Auroræ* vices

Subibo

Subibo rediens: quicquid aut insaniæ,
Atrivè luctus pectora obsedit tua,
Fugabo vultum, peste quem odisti magis,
Mox basiabis, usque & in visum petes. *Exit. Alm.*
Thibal. Olinda venio: non levaturus tuos
Herbis furores, dando sed comites meos.
Exit. Thibal.

Chorus Civium.

Queruntur fragilitatem humanam: ansam querelæ dat mors Alfonsi.

Fatis agimur mortale genus.
Nulla est adeò sors excelsa
Quæ non fatis subjacet: æquæ
Noctis tenebræ paritèr claudunt
Interrupto nitidum sole,
Furvisq; diem nebulis mersum.
Non imperium metuunt Fata,
Quibus imperium cadit in omnes
Ex antiquâ lege deorum.
Age virtutum pius exultor
Quæ te Fati dabit immunem?
An Iustitia? O fallax columen!
Vel Iustitia è terris perijt.
Ipsaq; Fati spicula sensit.

Omnes

Omnes primam tulimus mortem:
(Nondum natos tenet interitus.)
Mors una fidem gemina, tumuli
Uterus suadet. Pueri vegetans,
Ætas juvenis, constans quamvis,
Utraque perijt. Quidni senium,
Enervis, iners ætas pereat?
Quam difficile est mors præceptum!
Quod discendo tot sumus annos,
Plures tamen indocti morimur.

ACTUS SECUNDUS.

Scena Prima.

Phar. Piſ. Vel. Domin. Di. Gom.

Phar. PIſane, Magni Magna progenies patris,
Indubie & hæres Nobilis *Florentiæ*,
Incolumis, ut Nos, eſto. dic (noſtras opes
Vt ſcire nobis liceat) an quicquam tenet
Ibera tellus, quod ſit hoſpitio inclyti
Dignum *Piſani?* fare; polliciti ſumus
Aurem benignam. *Piſ.* Rex *Iberorum* potens,
Nec non, Tonanti ſimilis, ex æquo Bone,
Ac Magne, partem circuli *Phœbus* ſui
Iam pœnè quartam tranſiit, *Florentiam*
Ex quo reliqui. *Phar.* Noſtra gens tantum decus
Nec commeretur nec rependendo eſt. *Piſ.* Soror
Pharami rependit vel decennalem moram.
Phar. Durè facis, *Piſane*, dum noſtras habes
Scommate mulieres. Italus Princeps petis
E gente noſtrâ conjugem? ludis. *Piſ.* Petit
Æger ſalutem? Naufragus terram petit?

Si

Si non ſororem ducere licebit tuam,
Perit *Piſanus*. *Phar*. *Pereat & *Pharamus*, meam
Si quando ducas. Debilis *Florentia* eſt,
Vt nullam *Iberis* valeat afflictis opem
Præſtare: noſtri nos adoptabunt thori
Trigidum, & leonum, non in agnorum domos.
Piſane, frater potius, ô vanum ſpei!
Fœlicitatem ſæva nos tantam vetant
Sperare Fata. Priſtinam in mentem ſoror
Vix rediit, & ſi jungerem thalamis, tibi
Propriam & dicarem, frater audirem parùm
Amans *Olindam*, populus heu tantum gerit;
Dicamne Amorem, vel tepens odium? Iovi
Vt nec procanti principem in cœli darent.
Non mater aliàs filiæ indulget, domi
Retinet, procoſque inepta ſuſpectos habet,
Dum nata ſenium virgo ridiculum trahit.
Ah mi *Piſane!* vota non ſolùm tua *Exeunt omnes*
Fruſtrantur, etiam noſtra cecidere irrita. *Præter Piſ.*
Piſ. Quàm me beatum pœnè dixiſſem ſultimum
Montem aſſequutum nebula comprêndit diem.
Cum *Olinda*, cum *Thibaldus*, & votis ſimul
Cum Rex meis favisſet, impurus mihi
Obſtat popellus. Ergò aberravi, meam
Nec dum ipſe novi amaſiam: populi procus
Fio, nec *Olindæ*: veſter imò adſum procus,
Sentina, fœces. Pignora at amoris mei

Ingrata mittam, bella, cladem, incendia.
Procabor, ut dij vindices fontem solent,
Tonitru, Cometis.

Ad hunc Thib.

SCENA 2ª.

Thib. PErge: cur sisti sæ Chao,
Tenebris, ruinâ. Talis ah! talis meas
Titillat aures fermo. *Pis.* Non capio satis
Verba hæc, *Thibalde.* *Thib.* Scilicet novi, nihil
Aliud loquuntur Psittaci, populus meam
Amat sororem, fitque rivalis tibi
Informis hydra plurimo--- *Pis.* Sortem asperam
Vel ergo rides, sive quod pejus mihi
Blandiris. *Thib.* O *Pisane*, nunc jungas manum.
Thibaldus.--- *Pis.* Egit subdolè, & palpum mihi
Obtrusit assentator. Haud quenquam aggredi
Soleo imparatum; dexterâ & ferro latus
Defende. In animo est corda rimari tua,
Vt constet, hæc perfidia quem tenuit locum.
Quam si invenire dabitur, infidis *Phari*

Præbebo

Præbebo monſtris. Turpe num ferrum ſitu eſt, (eſt.
Vt pudeat ipſum conſpici? *Thib.* Stringo. *Piſ.* Benè
Thib. Iterumque condo. ſic Leo caveæ fores
Cùm dama pulſat, exit, & ſubitò redit.
Piſ. Etiam es maledicus? Dama? Blanditias parùm
Ad fata credis? Exprobras animos mihi?
Quin ſic timidulo eſt. Verba non ictus parat
In arma ſibi: fortaſſe tibi, patria eſt ſalus.
At eſſe nullum crede præſidium. *Thib.* Deos
Appello paſſus quanta juſtum enſem exeram.
Præceps *Piſane* dormiens fatum excitas,
Et quæ modeſta noluit, cogis necem.
Thibaldus? ira ſubdolè fecit tua;
Stultitia palpum credulo obtruſit. Vale,
Et utriuſq; callidas fraudes dole. (*Exrrahit gladium.*
Etſi *Piſane* non amicitiâ, ſumus
Pares miſeriis: Nunc velim Genium probes
Quem fingis, aut minutuli vita eſt. *Piſ.* Mala
Etiam æmularis? uſque Gnathonem ſapis.
Agam placidiùs. Proſper & fælix tibi
Amor eſt, nec obſtat nuptiis Populus Tuis.
Thib. At ô! patrem---Cur dextra langueſcit? feri.
Piſ. Te nequeo. Amice, læſa ſi virtus poteſt,
Ignoſce: quiſnam nobile hoc pectus furor
Obſedit? Aliquem conſtat; incaſſùm tegis.
Partire curas: leniùs torrens fluit
Diviſus: animæ, ſit licet talis, tuæ

Expoſco partem. *Thib.* Mira narrabo ambulans.
Percita, *Piſane*, non erat luctu ſoror
Furore ſed Prophetico. Vt primùm mihi
Cœdem paternam *Almundus* ediderat; redît
Mens ſana. *Piſ.* Seu ſit ægra; ſeu valeat, mihi
Vtrumque idem miſerrimo eſt. *Thib.* Spera tamen;
Pharamus Olindam, non popellus denegat. (brevis
Piſ. O miſera ſpes! *Thib.* O magna! nam vitæ
Rex eſt futurus. Dextera & ferrum fidem
Præſtate, nunquam pectora labaſcent mea.

Exeunt.

Domingus, Dion Gomera.

Scena 3ª.

(tem ſuæ

Di. QVidnam, *Dominge*, Rex velit? *Dom.* Mor-
Sororis, atq; *Iberiæ* paritèr. Iovem!
Non vile nobis dedecus, qui Nobiles
Audimus, ut feramus ætatis ſuæ
Famam, *Piſanum*, luſui à *Pharamo* dari?
Qui, pace niſi quòd imperet noſtrâ, infimus
Eſt Servus illâ parte, quæ Regem facit,
Animo. *Gom.* Sorori inferre geminatum parat
furorem?

Furorem? *Di.* At ille polcitò invaſit furor.
Gom. Citiùs receſſit. Miror. *Dom.* Alatus fuit
Hermes deorum nuncians gratos fore
Illis amores hoſce. Sic ſuperi volunt:
Quid inde? *Pharamus* renuit, his prudentior.
Di. Benè ſit. cerebro fidit at nimiùm ſuo.
Gom. Nos in Senatu (Curiæ inverſas vices!)
Sedemus, ut ſpectaculis pueri ſolent,
In Nidulorum formam, & ornatum. *Dom.* Queri
Pudeat: agamus, quod probet Cœlum, probet
Quod patria, cædem Regis. *Di.* At facinus vetant
Superi. *Dom.* Requirunt. *Di.* Proditor ſuperis placet?
Dom. Illis Tyrannus, proditor patriæ placet?
Di. An proditorem patriæ Regem vocas?
Dom. Effatus eſt, ſe proſequi ſummo thoros
Voto *Piſani*, abnuere ſed populum. *Di.* Premes
Quid inde damni patriam? *Dom.* Bellum, dies
Supremus: hæc neceſſe ſuccedant mala.
Non eſt *Piſanus* ille, qui dorſo ſinat
Injuriarum caſtra ut ædificent ſuo.
Paſſus repulſam gurges ut fluctus levat,
Spumaſque, tumidoque horret iratus vado.
Quid littus obſtans? gurgite exeſum ruit.
Sic ille thalamos in repellentem ſuos
Furit popellum: parcite O ſocii, pedes
Aptare Simili horreſco poſtremos. *Gom.* Scelus
At cur popello *Pharamus* affixit ſuum?

Dom. Hæc ars tyranni eſt. Nempe ſic odium, ſi-
Et ultionem removet à ſeipſo. Reus (mul
Supplicia ſemper, quæ pati meruit, timet.
Sic ergo ſibimet impiè cavet, ut, niſi
Regno ſimul cadente, non poſſit mori.

Dì. Sita in *Thibaldo* tota ſpes noſtra eſt: ratam
Hic cum *Piſano* colit amicitiam. Vetat
Quæ regna, ut *Iſthmus* maria, committi. *Dom.* Vice
Quod fers remedii, reddit aſperius malum.
"Quiſquis favet Nocentibus, par eſt: probat
Injuriam, qui vindices tardat manus.

Ad hos Thibald.

SCENA 4ª.

QVin Ipſe paritèr dexteram ultricem gerit.
Quam ſæva frons! dimidia populorum lego
In ore fata. Ardentibus verbis labra
ſpumant: voraces flammulæ ex oculis micant:
Rigent capilli. Num Caduciferi (vide)
Hæc ora? *Gom.* Quid, quid lene conſpectus tui
ſtagnum cievit? *Thib.* Quæris hoc? navim roga
Hâc parte, & illâc, antè iactatam, & retrò.

Quis

Quis fluctus illam quaſſet: *Gom.* At fluctus licèt
Sint plurimi, excitarier vento tamen
Poſſint ab uno. *Thib.* Perſpicax altùm fodit
Virtutis oculus. *Di.* Altùm & effodiunt manus:
Viſu ut prehendit, ut ferit certâ malum
Intrepida virtus clade. *Thib.* Commotas, (age)
Quid pacat undas? *Gom.* Sola mors venti. Vltimum
Vt efflat ille ſpiritum, fluctus cubant.
Thib. Proin ſtat: animam, *Pharame*, ſupremam
trahis.
Dom. Proh! colla non ambire non poſſum tua,
Ita rudè lætor. *Pharamus* expirat? bene eſt.
Medico *Thibalde* par ſcienti, debitam
Secas politici corporis venam *Gom.* ſalus
Et juſta craſis ſanguine hoc fuſo redit.
Di. Piſanus---Thib. Illum (ſi me ames) taceas,
Non hujus etiam injuriæ gladium eſt opus (*Dion.*
Vt lance ponas. Vita non plenè ſatis
Debetur una Principis cædi & Patris?
Agamus intrò: fabulam veſtras euns
Onerabo in aures---- *Dom.* Dexteræ accedat meæ
Pharamum enecandi gloria & virtus. *Thib.* Ama
Teipſum, *Dominge*, nec move propriam nimis
Audax ruinam. Meſſis haud falci meæ
Matura ſatis eſt: forſan---- *Gom.* "At plenam nimis
Nunquam malum non habuit ætatem. Nocens

Matura

Matura ſemper herbula eſt falci. *Thib.* Diem
Statuite. *Dom.* Tantas craſtinus laudes ferat.
Thib. Locumq; mortis. *Dom.* Myrteo hoc luco frequens
Tenebrio pererrat: hic illum latens
Adoriar. En vel arbores factum probant.
Vt ſparſa revocant brachia, & nectunt comas!
Redimire tanquam facinus hoc noſtrum velint.

Exeunt omnes.

Velaſcus ſolus.

SCENA 5ª.

VElaſce dormis, teq; non dignum throno
Torpore prodis. Cogita imperium patris,
Fratris gemelli cogita imperium. Satis
Iactare poſſum Regis, & Regis nihil.
Quid geſto virgam? agnoſco. Dominatus mei,
At ſervitutis rectiùs ſignum eſt. Monet
Hæc virga regi me eſſe ſubjectum. Monet
Ne regna cupiam: potiùs ut cupiam monet.
Iuſtum eſt, Nepos regale præ Patruo ferat
Diadema? Fratris ut feram natos mei
Throno ſedere patris? agnoſco & ſui.

Igitur né

Igiturné tanti eſt, quod malum nobis dedit
Fatum ſecundum exire, maternæ ut lutum
Fæces & uteri? Cæcus hic fœtum ejicit
Promiſcuè, nec novit, aut curat prior
Quis è gemellis prodeat: quòd ſi daret
Melior redire matris in ventrem deus,
Non immorarer, ultimas donec manus
Natura ponat: Embryo exirem, prior
Modò fratre poſſem. At eſto. Meruiſti prior
Naſcendo regnum, *Alfonſe*. Quid *Pharamus?* prior
An ille? quid naſcendus à *Pharamo* puer?
An ille nobis major eſt natu? tibi
Quâ lege ceſſi, frater, hi cedant mihi.
Quartus *Velaſce* es: tolle tres, primus manes.
Binos quod ergò ſpectat ad fratres: mea
Illoſné ſternet dextra? Nequaquam placet.
Servile nimis eſt. Dominus haud operi manum
Apponit: animo formet; hic illi labor.
Sic ergo fiet: mutuis manibus cadent.
Euge! hinc minoris vota conſtabunt; emam
Vili coronam. Quis modus mortis manet
Olindam? at illam noſtra concidet manus.
Sic dominus operi propriam apponit manum
Subtiliori.

Ad

Ad hunc Pharamus.

SCENA 6ª.

PHaramus? ingenij ociùs
Vertenda ſcena eſt. Nempe tanta illi Venus,
Vt nominata virgo pruritum excitet.
Quæ caſtitas tentabo. Quis noſtras calor
Torret medullas? noſter (hei!) veram ſinus,
Quam ſomniavit *Hecuba*, concepit facem.
Vbinam *Diana* es? Curre. Conflagrat tua
Ædes, pudici pectus: ut puras ſalax
Libido noſtræ virgines mentis ſtuprat!
Furit ut *Cupido*! perfidi ô oculi! fores
Solviſtis ipſi, patuit (heu!) hoſti via
Per vos: Lachrymulas cui bono ſeras datis?
Speſne ulla vobis poſteræ fidei meæ?
Phar. Quid muſſit ore patruus? Referam pedes,
Vel. Valete ocelli: nil opus veſtrâ face eſt,
Quæ ſimilis igni erratico in damnum micat.
Ocellus hominis, Ratio me ducet. Peto:
Annon caprinum, turpis & Satyri eſt, ſeni

Ardere

Ardere teneram virginem? quorsum taces?
Et tu in ruinam, Ratio, conspiras meam?
Hominemne prodis? Fœdus in dominum facis?
Vnde hoc? scio. Vicinus est oculus tibi.
Cæcu m ô *Velascum*! potiùs oculatum nimis!
Phar. Adeone? semper solus? *Vel.* * Outinam forem;
Sed illa comitem----- *Phar.* Quis dolor mentem op-
Pectusne vetulũ Amoris accendunt faces? (primit?
Vel. * Facesne Amoris dixerit? amores meos
Agnoseo: honorem diligo, teipsum, fidem.
Phar. Sed illa---fare quæ sit. *Vel.* Historiam
Satis cruentam, quæ potest vultu legi. (ah! meam
At est-----laboro, nec satis constat mihi,
Ipsamnè pulchritudo componat, magis
An ipsa pulchritudinem. Quantus decor
Stat vultibus! quis fulgor excussus comis!
Illius ab ore suavis egreditur vapor,
Vnde vel odores molle ver spernat suos,
Illoque dotet spiritu flores. Genis
Aurora surgit. Vultibus reliquis micat
Pallens decorè Luna: quàm mollis caro est,
Levique cedens tactui! fluidam putes.
Sanguisne venas nutrit an fucus? fluens
Qui per canales lividos visus mihi est
Similis pyropo cistulâ in saphirinâ.
Cum colla cernes, Indicum dices ebur.
Cum mammulas, clamabis En primas nives.

Ovasa

O vasa lactis lactea! at amoris metus
Me plura fari prohibet expertum nimis.
Omitto tacitus alia, ne tonitrus agat
In me Cupido fortiùs. *Phar.* Laudes Deam
Referunt. Quod illi nomen? *Vel.* Hoc solum deest.
Phar. At quo vocatur? *Vel.* Fama *Iulittam* vocat.
Phar. Novi. Venusta est, meruit & laudes tuas.
Vnde ista nostro flamma grassatur sinu? (meos
Vel. * Sperabo; vultus mutat. *Phar.* Incassùm
Occlusi ocellos: auris in amorem patet.
Velasce, amores jubeo *Iulittæ* exuas.
Rivalis esse Regis haud tutò potes.
Vel. * Flammas recepit: Non cadunt tali Iovis
Fœliciùs. Depone *Iulittam*? jube
Quod me penes sit, hoc enim affectûs mei est.
Phar. Quin redde jubeo. *Vel.* Te minùs Regem
" Imperia mandaturus illicitum exue. (proba.
Phar. Rebellis es, mandata nî præstes mea.
Vel. In quo misellus claudor articulo! exigit
Iulitta totum me, exigit totum Fides.
Vtramq; justis æstimem libris. Amor
Quid fœminæ est? libido. Desertum manet
Quæ pœna? quæ Cupidinis pharetræ placet.
Quid Regis Amor est? Nulla at hunc extra manet
Virtus. Relictus quam sibi pœnam exigit?
Ixionis orbem, *Sisyphi* saxum, *Iovis*
Fulmen trisulcum. Reddo *Iulittam* tibi.

Phar.

Phar. At unde faciam amplexibus prædam meis?
Vel. Hæc ipſa nox (ſors triſtis!) in noſtras manus
Dediſſet. *Phar*. Iſtam amoribus noſtris opem
Præbe. *Vel*. Imò certam præbeo. Noſtræ domi
Iulitta nocte hâc cænat, ubi paritèr cubat.
Annon teneri exiſtimas mitem feram?
Phar. O patrue, præ quo vilius avitum meo
Diadema capiti eſt. Alia ſenſiſſet ſinus,
Nec tantùm Amoris, tela, nî myrtus meis
A partibus ſtetiſſet. *Vel*. At *Pharami* ſalus
Diis omnibus ſit cura. *Phar*. Diſtricto latus
Noſtrum petebat proditor ferro. *Vel*. Scelus
Tantumne quiſquam? * malè ſit erranti precor.
Ergo ſatelles myrteum obſtipet nemus,
Claudatur aula, quære tormento ſcelus.
Phar. Evaſit, omnes rupit inſidias vafer.
Et ſolus hic relinquitur pænæ modus
Nobis, Cavere. Sed truces oculi, minax
Vultus *Piſanum* ſceleris authorem tenent.
Iratum Amorem facinus hoc ſpirat patrem.
Vel. * Dum cupio factum, ab extero factum im-
Bellum movebit, & rei noſtræ moram, (probo,
Si non ruinam: in alterum vertam ſcelus.
Phar. Tunicam, *Velaſce*, ferream texat faber;
Armatus ibo pectus. Excuſſo metu
Redeo ad amores totus: accelera, diem
Sol claude, tantas ſi voluptates *Thetis*

Quar-

Quantas habet *Julittæ*, properares magis. *Exit Phar.*
Vel. Oculi, cerebrum, lingua, vos omnes probo.
Abundè ceſſit proſperè hic actus: Plagis
Verſatur unus: alteri ſervo vicem.
Opus ſupernè amabile eſt, faxint precor
Dij, Cælites, Manelve, (non multum intereſt)
Ne piſcem in atrum deſinat. *Exit Vel.*

Thib. Dom. Di. Gem.

SCENA 7ª.

Dom. FAllax manus!
Si nunc adeſſet flamma, ſentires mei
Modum furoris. Prorsùs infælix fui,
Dum ſponte memet obtuli in *Pharami* necem,
Et vos probaſtis. Fugit in opacum nemus,
Vbi denſa Myrtus aſtat, & *Pharami* vice
Percuſſit enſis arborem. Fractus luit
Hujuſce dignas criminis pænas. *Di.* Movet
Illud *Domingum*? *Thib.* Quin virum in placidum
Non errat etiam vindicis fulmen *Jovis*, (redi.
Quercum immerentem ſulphur & ſacrum ferit?

Di

Di. Abundè compensatus est error tuus.
Tutus redîsti. *Dom.* Minimus erroris dolor.
Occasiones abstuli (heu!) omnes: nimis
Posthæc cavebit: sapere discrimen facit.
Gom. Nec penitùs ista fugit, at cessit magis
Periculosa tutiori Occasio:
Hinc luce quartâ nos sibi comites cupit
Cervum ad ciendum *Pharamus*: ergo illum licet
Figas sagittâ toxico imbutâ. *Dom.* Placet.
Dignare nostris casta sylvarum Dea
Præesse manibus. Phœbe da, teli pater;
Sternam hunc Pythona. *Pharamus* insequitur ferã;
Pharamũq́, nos insequimur. *Actæon* novus
Venator exit, prædaq; è campis redit. } *Exeunt omnes præter Thib.*
Thib. O dura *Pharami* corda! Vindictã fe-
Duxi otiosam: se neci *Pharamũ* ratus
Fore traditurum. Vivit: hoc *Pharamo* parum est;
Etiam triumphat. Non graves oculos gerit;
Motosve vultus; talia Æneæ pii;
Talia fuerunt ora servantis patrem.
Horrore frater cædere minori potest,
Quàm scire cæsum fas mihi misello est patrem.
Ne metuat ensem *Pharamus*, aut telum, grave
Quem vulnus istud non ferit, *Cæsi patrũ*
Meminisse.

Ad hunc Velàscus.

SCENA 8ª.

Vel. Solitarium inveni. loco
Horæq; plaudo; valeat Amor, Ignis veni
Nobilior, Ira: compleat fauces furor.
Cœlum atq; manes! patiar hoc? vires mihi
Iræ, ô Tonans, iramq; dà cauſæ parem:
Vt tendat ipſas ultio ad Nubes mea,
Vellatq; ſphæris aſtra, quæ influxus dabant
Portenti in ortus. propriis dignè luent
Natum ruinis, ſola quæ fuerit penes
Vetuiſſe naſci. *Thib.* Spiritus altos rege,
Tumidumq; mulce pectus. *Vel.* Ignoras ſcelus
Quantum, *Thibalde*, ſuadeas: tacitus feram
Imperii honores, quos Avi illæſos mei
Tenuere, maculis pollui æternis? *Patrum*
Caſtuſné ſanguis impudicitiæ notam
Feret? furorem tanta cum noſtrum movent,
Sævire meritum reputo, & iraſci pium.
Thib. Quæ ſenſa mentis explica, nondum patent

Vel.

Vel. Obscura solvo. Rex amat, potiùs flagrat.
Thib. Licito tamen calore. *Vel.* Si licitus calor
Libido sit. *Thib.* Proh Fata! quamnam ardet caperè?
Vel. Mihi nota non est virgo, *Iulittam* vocant.
Thib. Audetné deperire *Iulittam* meam?
Quot provocabit fulmina? ecquandò putat
Se devoveri plenè ad Infernum? scelus
Mancum videtur patris effusus cruor?
Vlteriùs addit? complet & ceptam quasi
Fœdâ ruinam Venere? Nostri adamas finus!
Qui tanta ferre vulnera infractus potes. *Ex.* *Thi.*
Vel. Benè est: *Thibaldum* spondeo implexum pla-
Gratulor abundè, quod nec insani pedes (gis.
Pullâre terram, corda nec ineptæ manus.
Abundè sermo pressus & lenis placet.
Nempe hæc stupentem, & seriò motum probant.
" *Iram*, videri quæ potest, fictam scio. *Exit Vel.*

CHORVS.

Queruntur periculum suum, quod Rex Olindam Pisano in uxorem denegaverit.

NOn est ludicra, fallimur,
Non est scenica res thronus.
Credent i gravius malum

Optari nequeat fide.
Stat frons seria Principi,
Fatum luminibus subest,
Verbo fulmina projicit,
Non vultus vacuos gerit.
Nescit turpem ferre repulsam
Princeps: humilis patitur probrum
Virtus. Regem vindicta decet.
Belli materies fuit; futura est
Belli materies Negata princeps.
Imprudentia, quò tamen
Imprudentia, quò rapis?
Reges factaq; Principum
Nos, plebs sordida, carpimus?
Non est fas populo malum
Formidare, nisi metu
Elingui, tacito. pati
Nostrum est pessima, non queri.

ACTVS TERTIVS.

Scena Prima.

Pharamus, Velascus.

Vel. ILlius en cubiculum ! en clavem tibi !
Phar. Salveto: justam clavis ô præbes opẽ,
Æquum est valoris gemmulam tanti, sera
Obsignet: ibo. Nil supervacuâ face
Opus est eunti: sat cor accensum micat. *Exit Phar.*
Vel. I *Pharame, Iulittamq́* sine nostro tene
Livore: nos titillat imperii Venus. *Exit Vel.*

Julitta excurrens, Pharamus.

Scena 2ª.

Iuli. VIri, mulieres---*Phar.* Irritam imploras o-pem:
Excludo utrosq;. *Iul.* Numina auxiliũ date;

Excludis illa paritèr? a proprio sinu.
Phar. Vocem coerce, tota ne linguæ luant
Culpam ora. *Iul.* Tinge, quas vocas, suaves genas
Veneno edaci: Frons suam perdat cutem:
Extende Nares: Luminum sepeli diem;
Vltràq; sævi. Non potest dignas meus
Pœnas subire vultus, interitum tui
Honoris ausus. *Phar.* Apage fictitium! veni
Julitta, densas oculi segetes labra
Serant: nec ingens Vmbra, quæ visa est, Honos
(Sed Vmbra) Nos amoris Elysium vetet.
Non metientur nostra Virtutis pedes
Moduliq; facta; tollet & ponet suos
Virtus secures sceptri ad arbitrium mei.
Proinde demus mutuò amplexus: Amor?
Religio cœli est. *Iul.* Licitus. *Phar.* A nobis habet
Licere. *Iul.* Vitium authoritas duplex facit.
" O quale monstrum sceleris est licitum scelus!
Phar. Ohe modesta! sat puellaris rubor
Habuit: negasti sæpius. tandem meos
Rue in lacertos. quid moras ultrà trahis?
Age, mea, juvenis fruere deliciis, senex
Queis non licebit, per capillitium tuæ
Occasionem prêndito formæ. redit
Præterita nunquam. vindicaturos puta
Deos severè, casta si nimiùm sinas
Languere pulchras corporis fruges, proco

Nec

Nec carpi ab ullo. *Iul.* Vindicaturos puta
Graviùs, pudica si minùs carpi proco
permittam ab ullo, quamdiu in vivis meus
Manet *Thibaldus*. spem foves cassam. *Phar.* * Miser
Quid agam? labasco? cumq; sim expertus diu
Vacuus redibo? turpe, nec tutum satis.
Inficere nævis sic potest nostrum, suus
Quò clarior Honos niteat: instabo, premam.
Quod suada nequit Amasii, effectum dabit
Vox Principis. *Iulitta* nos regem scias,
Nisi obsequaris---*Iul.* Vah! leves *Pharami* minas
Nec Regis: istud excidit nomen tibi,
Tuum reliquit pura cum Virtus sinum.
" Terrestre, princeps, Numen hinc superos refert,
Si quando faciat turpitèr, ponit Deum.
Phar. Tyrannum habebis, dum negas regem. vide
Hunc pugionem. *Iul.* Cultrum & hunc paritèr vide.
Amasie veni: colla in amplexus cadant, } *Phar. aperit cubiculi fores.*
Animasq; trãsfundamus errantes labris. }
quid segnis astas? fulgur an amoris perit?
Calidumne gelidus sanguinem extinxit timor?
Ingredere miles, arma si Veneris placent.

Redit in cubiculum Iul.

Ad hunc Velascus.

SCENA 3ª.

Vel. QVid jam ipse sentis *Pharame*? non speculo
Glabella cervix? pura non illi cutis, (magis
Quasi nuper emersisset è lactis mari?
Non molle labrum est, quodq;---cur mœstus caput
Dimittis? adeon' esse fœlicem nocet?
Phar. Fœlicem? at illo jure saturatum voca,
Cui lauta struitur mensa, quam digito tamen
Si tangat uno, certa mors illum manet.
Pari salute Tigridem amplecti datur,
Lupamq; fœtam. *Vel.* Vera sim fassus, probo
Iulittam abundè, nempe versuta est satis.
An credidisti virginem aggressu fore
Primo subactam? Veneris in bello scias
(*Iulitta* scit) victoriâ facili nihil
Minùs placere. Mulier expectes neget,
Et forsan arma tollat: hoc fuco suam
Libidinem cerussat: hinc, exlex licet,
Satianda nunquam & flamma, constrictum gelu
Visa est: amat, confide, sed amorem tegit.

Phar.

Phar. Amare ſi ſit, alteri ſeſe integram
Vovere: ſi jubere, ſpes tota exulet
A me, *Thibaldus* quam diu in vivis manet,
Amare ſit, *Iulitta* me conſtàns amat.
Vel. Iam res aperta eſt: exuit tenebras Amor
Et cæcitatem: clarius luce eſt, amat.
Teq; unicum. Notaſtin', ut juſſit ſpei
Parùm foveres, Fratre apud vivos tuo?
Expone verba, ſenſum in hunc ultrò fluunt.
Iulitta Pharamum *diligo, hunc blando tamen*
Excipere vultu timeo, nec vano metu:
Nam frater illi eſt, fervidus nimiùm mei
procus, ſenectâ inviſus, & varo magis.
Fratrem, Thibaldum *tollat, & voto annuam.*
Phar. Ain' *Velaſce?* quâ cadet frater nece?
Vel. Mihi detur iſtud. *Phar.* Occidit noctis dies.
Stellas minores lucis infirmæ pudet.
Redeamus aulam, dum licet tutò: ſolet
Garrire Phœbus. *Vel.* Garrulum ſolis jubar
Provoco: *Thibaldum* occulta tam rapiet lues,
Solem ut latuerit, luminis patrem licèt,
Solem ut latuerit, pharmaci quamvis deum.

Alm.

Almundus ſolus cum ſtricto ferro.

SCENA 4ª.

I, curre, totis viribus propera: gradum
Almunde ſiſtis? Apage: dic pedibus modò,
Hos ire *Pharamum* debitæ morti datum,
Alaſque ſument. plumbus at quantus! gravat
Quod genua ſaxum? curre? moriturum jube
Salire potiùs; aut avem, pondus grave
Quam mergit, altas tendere in nubes. pedem
Hic figo laſſum. Iure me laſſum queri
Poſſim: invenire quantus amiſſam labor,
O quantus innocentiam! poples labat
Tanquam execrandum corporis abhorrens onus.
Quid eſt peroſam quod trabo vitam? creo
Quid longa mihimet tædia? an at ultus mori
Poſſim? ergo fodiam proprium ferro latus;
Sic plena ſtabit ultio: nummos luet
Manus receptos impia; veneni ſimul
Pretium, & venenum: libera Voluntas dabit
Supplicia, quod probavit aſſenſu ſcelus:
Et ſi quid alijs partibus noxæ manet,

Sic sic piabo. Quanta pax animi leve
Post vulnus habitat pectus! haud aliter scatens
Humore corpus noxio medicus secat,
Vt sanet ipsum. Fugit hos angor sinus,
Hos cura: mens turbata sedatur, capit
Et longus oculos somnus------ *Moritur.*

Strumbus Gryphius.

SCENA 5ª.

Gryph. EHo *Strumbe!* pauperascit virtus. *Str.* Pol quàm tremulæ (satis.
Vestes sunt? Verentur ne carcerem non effugerim
Dicam tibi, *Gryphi*, nullam rem odio habet tam maxumè
Atque carcerem tergum. *Gryph.* Hem id te oro, quorsumnam?
Quippe flagris illic loci solet coercerier?
Str. Aliquid est sanè dicis. Verum at hoc insuper in dolorem illi venit,
Quod vestibus charissimis suis valedicere necessum
De nostrâ quis enim societate Philosophus (siet.
Ruinosis non horreat pannis. De more est mittere
Diploides

Diploides curatum cervisia quæ nobis fiet.
At at quæso ædepol quotam numerasti prædam? quot pessundedit
Fidus fustis, ex quando carcerem nigrosque penates salutaverim?
Gryph. Ecastor pœnè nullam rem egi. planè hyemem sensit virtus mea.
Str. Hui! quot dice. *Gryph.* Numerum explevi vicesimum.
Str. Et his. *Gryph.* si quidem unum, Dij me eant perditum vicies.
Str. Ain vero? *Gryph.* Ah! *Strumbe*, sæculum ignavum hoc *Gryphio* fuit tuo.
Vix unus, ita vivam, pretium fecit mihi generosulus,
Vt hunc vel illum certæ morti duerem, eo quia
Generositatulæ illius mendacium inter pocula clamaverit,
Latusve non texerit illi inter vicos temerè.
Str. Proh Curia, inuersique mores! Ergò actum est de nobis funditùs.
Quòd si adessent vestes jam lucidiusculæ
Scio quid agendum mihi foret. *Gryph.* Quid amabò?
Str. In Florentini principis famulitium me haud mora darem.
Miro pol esset tibi quantum audivi de Italiâ.
Nempe illic adeò creberrumè exercetur nostra vivendi ratio,

Vt parùm abſit quin honeſtam evadere in tribum occipiat.
Si mejat quiſquam imprudentèr coram feneſtræ, intus qua Vxor eſt,
Extempulò itur ad nos Zelotypo à viro.
Nemo gratis nobis frontem ſeverâ obducit triſtitiâ.
Gryph. At heus tu furcifer, eccam hic mecum prædam. *Str.* Vbi
ſodes? O bone Hercules! dormit etiam, ſin minus, benè madet.
Parùm erit jam nobis operæ illunc hac vitâ ſpoliare totiſſimâ.
Gryph. Quò tam rapidè inconſultus? *Str.* Omitte me. *Gryph.* Diſcaveas tibi.
Quis ſcit, an caninum non agat ſomnum, jaceatq; ex dolo
Madidus, ut nobis fortean inſidiari poſſiet?
Str. Age quicunque es, qui nobis inſidiatum ex dolo jaces,
Conſilium cepiſti cum fortunis noſtris: faciemus etenim
Vt alijs poſthæc inſidiandum parùm opus ſit jaceas.
Propterea quod magna certò relaturus es ſpolia,
Amplamque ſatis lanam de aſino & raſâ ove.
Dives lacte impoſſibile non redeas, qui mulges aves.
Tuâ verò cum veniâ-----At hei!

Gryph.

Gryph. Quid istud hei volt? *Str.* Ad astra tuum
Appellere soles animum: nonne? *Gry.* Obsecro cur
Isthoc rogas? Imò rariſſimè, inter preces.
Str. Siquidem haud aliter res evenit,
Quàm Astrologus predixeras futuram infallibilis.
Reapse elusit nos illicce homo.....
Gryph. Herclè aliquid mali ex fœtore meo ſuſpicatus ſim.
Str. Nimirùm fraſtrà esse fecit clavas noſtras ensis proprius.
Gryph. Ædepol hoc gratè factum est. Multùm capior
Viri beneficio. Age mecum *strumbe*, cum honestus fuit,
Noluitque nobis (proh ingenuum!) occidendi operam,
Sepulturâ habeamus illi gratias, corpuſque pij
Mandemus terræ. *Str.* Cave unum de pietate verbulum
Auribus expue ſis nomen hortor, ſi quando exaudias.
Ne lex quidem noſtræ rei paritèr officit
Atque peſſima hæc. Vtpote quæ ſolida malaciſſat pectora,
Strenuoſque diſſolvit animos. *Gryph.* Verum enim verò pace tuâ
Cadaver humo tradere licet
Salvâ tamen virtutis indole. Experumentum ſe præbent Flamines

Flamines noſtri, nequaquam inter funera toti lachrumæ.

Str. Igitur in funus para tu, & expallia ſis hunc.

Gryph. Imò hoc viventi facturus ſim. *Str.* Ipſius interìm

Exploro peras, ut conſtet, Nunquid ſolvendo ſit
Quæ debentur nobis ſepulturam curantibus ſuam.
En aurum Carnifex! *Gryph.* Hem quanti! dividuum face.

Str. Efferatur jam. Prodeamus. At audi me.
Vtri noſtrum provincia eſt Flaminium?

Gryph. Mihi erit. *Str.* Imò mihi. Vt qui ſimilior
Flamini videor. *Gryph.* Huic Luperco ſcilicet.
Toti nudo.

Ad hos Vel.

SCENA 6ta.

Vel. NEmpe hic locus eſt: & ni me ludant oculi
pud quæſitos jam ſum.

Str. Quis illìc hominum rectà nos venit? *Gryph.*
Ita me-----,

Velaſcus eſt. accurramus illum: nam certò certiùs
quæritando nos eſt. *Str.*

Str. Adesse salvum liberalem *Velascum* servis volupe est suis.

Vel. Oportunè quidem. Nam diù inter desiderandum vos fui.

Sed quid ego homunculos, quibus animus demissior est quam fortuna,

Quique divitias, ne spe quidem, audent assequi.

Str. Quòd si talia loquantur mea hæc femoralia mentiuntur egregiè. (ream?

An potesse ut vetulam & has vestes egomet depe-

Gryph. Nihilo per Iovem sumus aliter ac fuimus.

Edicas modò, quid voles nos, & factum puta.

Vel. O viros planè adamantinos, fortes, simul

Et constantes. *Thibaldus* injuriâ me affecit. *Str.* Teneo.

De mortis ergo genere fer judex sententiam.

Gryph. Vin' filum vitæ illi dirumpamus gladio?

Str. Vin' equi sellam irroremus toxico?

Vel. Vtrumque suspicioni ansam curiosulæ,

Et omnium rumori vanè credulo porriget.

Auscultate mihi. ad suburbia hospitatur venefica.

Gryph. Erifilam volt hic. *Vel.* Habes. *Str.* Ipsa mater mea est.

Mihi & *Plutoni* fratres vocare licet,

Ab ijsdemmet pependimus uterque mammulis.

Vel. En effigiem *Thibaldi*. Matri tradue sis tuæ,

Et vide tu hanc conficiat, atq; miserrumè discruciet;

Faxitq;

Faxitque per carmen magicum, eadem ſentiat
Archetypum vulnera: hanc ſi rem agatis meam,
Hoc aurum ultra liberalis illi vobiſque benefaxero.
Str. Intra menſem expecta dictum deſiiſſe *Thibaldum*
In vivis eſſe. *Gryp.* Quin hàc *strumbe*: quidam nos manet.
Str. Imò jam memini----quanto oneri eſt! ſi tantum foret
Auri nobis----*Gryph.* Non, quod avari ſolent, mandaremus tumulo. *Exeunt. exportantes Alm.*

Vel. Quæ ſtercora virum, & fæculas magni necem
Mitto in *Thibaldi*? Muto nec factum, licèt
Sint delicati, qui ſatis damnent opus,
Sceptrumque nolint, quod ſibi vernæ dabunt.
"Spectare finem, haud media prudentis viri eſt.
"*Aurumne* ſpernam, quod per artificis manus
"Tranſivit atras? reſpuam aſcenſum throni,
"Eò quòd imò fixus in terram gradu eſt?
"*Ad* ſanitatem turpe medicamen facit:
"Suavemque ad hortum fœda non raro via eſt.
Exit. Vel.

Thib. Dom. Di. Gom. venatores.

SCENA 7ma.

Dom. AVersa nimiùm Fata! ab his etiam dolis
Rex tutus est. Sagitta percussit sinus,
At redijt illinc cassa. Nimirum potens
Cordis venenum spiculi vicit leve.
Gom. Illumnè sumit aliquis in Curam Deus?
Thib. In ultionem rectiùs servat suam.
"Nunquam scelesto Numen in magnum nisi
Malum pepercit. Fortè consilium Iovi est,
Vt fulmen ingens impium allidat caput;
Cælestiumve fulgur irarum notas
Inurat ore; pateat ut pœnâ scelus.
"Peccata Regum, qui vices supplent Deûm,
"Divina Nemesis omnibus flagris ferit.

Exeunt omnes.

Phar.

Phar. Vel.

SCENA 8ua.

Phar. NOstri, *Velasce*, prodigi nimiùm sumus
Vultûs. satietas nauseam pleno parit,
"Solem Indus odit. *vel.* Quid rei est? solidum movet
Quæ causa *Pharamum*? *Phar.* Dum sequor Cervum, meos
Telum venenis oblitum pulsat sinus.
Thorax salutem præstitit. *vel.* * Bene res cadit
Nempe hanc *Thibaldus* misit. *Phar.* At posthæc libet
Domesticis vacare delicijs: foràs
Nullæ vocabunt. Dixin' at (fatum hei meum)
Domesticis? absente *Iulittâ*, domi
Nullæ. ah *velasce*, non inexpertum geris
Violenti amoris pectus: at tandem mali
Fine acquiescis. I, meos sævæ refer
Iulittæ amores: plenius fractas rates
Narrare possit, qui nigras ponti minas
Effugit ipse. *vel.* Pone sollicitos metus,
Vanamq; spem. *Phar. velasce* spem ponam jubes?

vel. Fiduciam tibi ſume, mox illâ frui
Licebit. *Phar.* An licebit? O quantos feret
Lux illa honores! *vel.* * Et ferat. Fratrum nece
Excogitatâ, poſtulat *Olindæ* meam
Ruina mentem. Teneo quàm celeri pede *Excurrit.*
Approperat! *Phar.* Animos incipit terror meos
Habere: patrem mortuum rebar prius,
Nunc interemptum ſentio. anxietas edit
Fibras: quietis occupat ſedem tremor.
At mens reſurgat, frontis & redeat nitor.
Caligo pœnitentiæ à noſtris procul
Exulet ocellis: haud pater tanti eſt: dolor
Cur me tenet? par luctui nullum eſt ſcelus,
Iulitta ſeſe cum mihi fovendam dabit. *Exit* *Phar.*

CHORVS Aulicorum lugentium neſarios *Pharami* erga *Iulittam* ignes.

Quem tu facis, ô parvum Numen,
Quem nos ludum? quos exagitas
Nos per fluctus, Cypria mater,
Sævum Ipſa fretum, quæ Nata freto?
Quæ mens vobis? quod conſilium eſt?
Cur illicitos vultis amores?
Adeò, quæ vos Numina, conſtat.
Soloſnè petit Pharamus *thalamos,*
Jura Thibaldi? *Non ſponſa juvat,*
Niſi quæ paritèr ſit pœnè ſoror.

At

At quid thalamos, ſponſam loquimur?
Pejus decet hos Nomen amores;
Stuprum turpe,---ſed Ohe! noſtrum
Sat in horrorem thalami faciunt.
Princeps, cœleſte velut corpus,
Vbi quam fas eſt aſpicit, almo
Populum fovet influxu ſtella.
Vbi ſceleſtos amat aſpectus,
Monſtroſa malum ſpargit flamma.
O Calabria quàm miſella utriné es!
Negando ſimul & petendo ſponſam.

ACTUS QUARTUS.

Scena Prima.

Olinda, Iulitta, cum fœminis ancillantibus.

Iul. OCclude fontes luminum: florem genæ
Nimia enecabit gutta. *Olind.* Ne culpa meas
Iulitta lachrymas: hæ mihi revocant aquæ
Vitam exeuntem. Reddit ut saxum stupor,
Me lachryma solvit. Fata quàm sævè favent!
Puella falcem quæ manu tractat, die
Cui frons peruſta eſt, & ſtat in malâ crocus,
Quemcunq; adaptat in ſuos juvenem thoros:
Nec illa, Regi Nuptiæ an placeant, manet.
Miſera ego Princeps non meis oculis amo:
Attendo *Pharami* lumina an ſponſum probent:
Amore reliquo plus Amor lippit meus.

Iul.

Iul. Quid fert remedii lachryma? *Olind.* Sic medicus lavat
Quò facilè sanet, vulnus. *Iul.* At lachrymâ datur
Medicina potior. *Olind.* Quæ malo poterit meò?
Iul. Oblivio mali. *Olind.* Excidite Natales mei;
Dedisco quod sum Nata, quod regis soror;
Animi è tabellâ hæc omnia expungo mala.
Iamné ipsa valeo? *Iul.* Nescia bonorum es, mala
Hæc dum recenses. Italus menti procus
Excidere debet: excidat. Frustrà tenes,
Cum non potiri detur. "Excruciat boni
Meminisse vetiti. *Olind.* Tuné me immemorē mei
Velis *Pisami*? proh nefas!

Ad has Velascus personatus miles.

SCENA 2ª.

Vel. ILlic habent.
Satisné delitesco? vix meipsum scio.
Faciam, ne *Olinda* militem dubitet. Gero
Animos feroces. Corcula ut habetis mea!

Olind. Quod ille monstrum? -- *Iul.* Miles errasti:
Pars illa saltûs, illa pars nutrit lupas. (capras
Vel. Quid tu superba in militem? ---- haud quæro capras
Nisi delicatas: haud lupas, nisi quas ferat
Aula, nec agrestis sylva: Mars sensit meam
Virilitatem, sensit & Cypris meam,
Paritèrq; vos sentire decretum est. 1. *Anc.* Furit.
Vel. Ergo cavete: Militis dementia
Sat fert perîcli. quid pedes prosunt? *Iul.* Manum
Dimitte: violas principem. *Vel.* Amplexus meos
Quod illa mereat, gaudeo. *Iul.* Arcitenens Dea!
Videsné stuprum lenta? 2. *Anc.* Proh! homines! feræ!
Vel. * Clamant, agendum est ocyùs. 1. *Anc.* In aulam pede *Iul.* 2a. *Anc.*
Toto feramur. *Vel.* Adeon' extractum cupis *Excur.*
Ferrum? extraho. *Olind.* Sævissime! Charybdi labor
Durus fuisti. *Vel.* Gloriam Lucretiæ
Præripio tibi: per propriam haud quaquam mori
Dextrâm licebit: trado *Tarquinius* neci.
Olind. *Pisane*, vita, (uterq; vos unum) vale. *moritur.*
Vel. At cautum oportet. Tota num cecidit? neq;
Linguâ superstes? Nulla fax vocis manet?
Imò tacebit fida. Quàm possim citò
Nunc in meipsum redeo. *Exit Vel.*

Iul.

Iul. Thib. Piſan. alijq;, cum ſtrictis gladiis.

SCENA 3ª.

Thib. QVæ triſtis via
Deducit ad ſpectaculum infœlix? *Iul.* Locus
Inſtat. Quid, oculi, cernitis? *Olindæ* ſinum
Cruore ſparſum? *Piſ.* Et vulnera? *Thib.* O dulcis
ſoror!
Eheu! caleſcit: vos opem properam! genas
Fricate: corpus flectite antrorſum. Redi
Animula ſuavis. ---- fugit. *Piſ.* Actutùm ſequor.
Thib. Dextrâm coerce. *Piſ.* Tun'et inviſã ſtruis
Amplexibus, *Thibalde*, Tu noſtris moram?
Quid *Pharamus* ipſe ſævius potuit? *Thib.* Tuum
Reconde ferrum. Terite, vos, omnes vias,
Premite ſceleſtum. *Piſan.* Pyramus aſperſum videns *(Exeunt omnes præter Thib. Piſ. Iul.*
Thisbes amictum ſanguine ſibi infert manus,
Et ſacrificium vel Peplo ſponſæ jacet?
Egoné *Thiſbes* (proh pudor!) *Thiſbes* meæ
Fædè ſuperſtes cernere Cadaver feram?
Quid uſq; mihi cum corpore? *Thib.* O utinam dolor

Me

Me non feriret major! *Pis.* Hunc luctus minor
Premat necesse est, quem minus damnum gravat.
Thib. Proinde vultus indue serenos magis.
Te tanta perdidisse credendo facis.
Expende justâ lance jacturam: tibi
Amasia perît; quam tamen regio, dies
Quam quæq; renovat. Ex novo aspectu novus
Amor resurgit. At Soror damnum mihi est,
Nunquam soror reparanda. * Me miserum! mei
Quò minuam Amici Proprium augesco malum.
Vnus supersum prole de trinâ patris:
Annumero *Pharamum* mortuis. *Pis.* Vivens tibi
Iulitta præstat omnia. Parentum vice,
Fratrum, sororis fungitur. Fatum mea
Redegit in compendium brevius mala,
Majusq; damnum facio, dum facio minus.
O sæve miles! *Iul.* Suspicor specie tenus
Habituq; solo militem. Sermo mihi
Sonuit *Velascum Thib.* Credulus fingit sibi
Quodcunq; luctus. Gemma? --- Non talem tulit
Auris *Velasci*? *Iul.* Ipsissimam. *Thib.* O dirum
scelus!
Velascus illi patruus: haud neptem potest
Necare Patruus: at Patrem natus potest.
Amice, Scythiam naviga, uxorem cape
E gente, cui trux homine sedatur fames,
E sæviori genere quam nostro nequis.

Attolle

Attolle pondus triſte: mox pondus tibi
Ego ſum futurus. Piſ. Triſte tu pondus mihi?
Properandum, amice, ſi mori cupias prior.
Exeunt exportantes Olindam.

Erifila ſola.

SCENA 4ª.

INvidia ſalve: te meam ſtatuo deam.
(Quidni Canidiæ Invidia ſit numen, dea
Ac Laidi Impudentia eſt?) Nomen tibi
O quàm laborat! ipſi ut Invidiæ invident!
Audis Averni filia, & quidquid malum eſt.
At fama poſſit, Audias tantùm malè;
Es ipſa virtus. Inditum eſt nomen tibi
Amor ſui. Si virginis malæ rubent,
Exanguis odi: candidam ulceribus cutem;
Rectumq; gibbis perſequor tergum: caput
Sublime curvo; perq; me Senium Novi
Patiuntur anni. Quid per hæc merui? probant
Me non habere cæteras odio, magis
Sed amare meipſam. Nempe ſic pallor genæ,
Cutis ulceroſa, gibbus humerorum, mei

Et

Et corporis quicunq; defectus fugit.
Vitiosa membris multa cum mulier, mihi
Surgit venustas. Inter Æthiopas nigra
Haud ulla. Tanquam mos habet sese decor;
Quodcunq; multas inter obtinuit, decet.

Ad hanc Str. Gryph. cum effigie Thib.

Scena 5ª.

Gryph. NOn tu aliquid naribus, *Strumbe*? *Str.* Imò matrem meam
Teneo, sequere tu me: Nam hàc isse præ
Illanc, æquè novi, atq; venaticus canis
Cum lepore induta sit. *Gryph.* Huil apud qualenam animal sumus! (tuor
Quàm ad instar gnomonis promovet, tres aut qua-
Digitos ad horæ spatium! ac si veritum foret
Ne istud humeris stans festinum summoveat.
Str. Næ dum informem gibbo, simulq; lentam passu conspicio,
Emergit memoriâ testudo, quam vidi, Indica,
Domum suam tergo ferens: at at quam similes!
Gryph. Quid os pedibus admovet? hos alloquitur.

Str.

Str. Tacitus sis: forsan carmen illa obmurmurat
In circulo jam. *Gryph.* Ipsa pænè circulus.
Str. Fælix & prosper tibi hic luciscat dies. *Erif.* At nullum mavolim.
Quis tu qui tam invisa mihi? Pluto, & Furiæ!
Hoccine est, quod diem mihi exoptâras malè,
Vt intuear, quod oculi exhorrent mei?
Tenebræ istam habeant tabulã. Quid me excrucias?
Venefica veneficium patior à pulchelli imagine.
Str. Verum noctua, bufo, & quodcunq; gaudens nocte animal,
Dum sublimem oderint solem, occiduum amant.
Erif. An est quod solem ego amem, ideò occiduũ
Vt novus resurgat, meamq; perpetuet invidiam?
Oportet verè occidat sol, nec declinet, cras
Exoriturus, quem ipsa amare possiem.
Str. Quin ergo balia sis effigiẽ hanc. Verè occiduos
Sol hic formosulus gerit vultus. Paucis. Eâ lege hanc tibi
Apportamus tabulam, ut confodias medullitùs.
Erif. Ha, *Strumbe*, ut confodiam? ---- *Str.* Exprome intimum
Quod in te artis est, & sic mortem expedi,
Vt mundo imponatur Iliorum illunc convelli termine.
Erif. Vt videam an his ritibus in parato sint omnia.

Imò

Imò desideratur Mandragoræ foliũ, bufonis cerebrũ,
Nec pòl sine mortui manu hæc peraguntur sacra.
Aufer te hinc *Strumbe*, ut mihi hæc suppedites
velim. *Exeunt Str. Gryph.*
Invidia, quis te dixerit posthæc macram,
Cui mensa Princeps, & dapes tantas decor?
Exit Erif.

Pharamus, Velascus.

Scena 6ª.

Phar. QVicquãné nobis gaudii apportas redux?
Lætum quid oculus spondet: imò illud
meum est;
Julitta misit; redde. Num durus silex
Animi movetur? Pectoris glacies fluit?--
Vel. Glaciemné cordis? at Cupidineas faces,
At flammulas dixisse debueras magis.
Phar. Ain'? quid ergò frigus ostentat mihi,
Hyememq; tantùm, nec fovet pectus meum
Spei calore? *Vel.* Nunquis ut foveat calor
Obstante medio? *Pyramus* à *Thisbe* petit
Basiola,

Basiola, paries labra cum jungi vetet?
Ægrè *Thibaldus* cras habet: narrat sequens
Hebdomada mortem illius, & amores tuos.
Phar. Cupido, leges quàm graves ponis mihi!
Iulittam amare nequeo, ni fratrem oderim.

Exeunt.

Thibaldus incantatus, Iulitta.

SCENA 7ª.

Thib. SVperisné, an oris versor infernis? licet
Dubitare. Pœnas sentio barathri: Nihil
Cæli relictum est, Chara, nisi vultus tui.
Heu! quantus ardor intimos urit sinus,
Ac si ebibissem Portiæ ignitas faces!
Sustinuit unum vulturem Titii jecur,
Meum esca multo est. Sauciat ferrum latus
Centrumq; cordis pugio. Alcides, tace
Vestem molestam, nî potes vestem loqui,
Quæ pectus imum, nec cutem primam exedit.
Iul. Quæ regio mundi, quæ plaga Astræam tenet?
(Nec enim petîsse cælicum credo forum)
Invidia cæli, Erynnies cæli incolæ.

Tor-

Tormenta certè tanta non meruit pius,
Cultor deorum (si modò humanum genus
Quid sit Religio, quidq; sit Pietas sciat.)
Afficere pœnis quem libet, temerè, prius
Quàm constet, utrum mereat has, Insaniæ est;
Iræq;, nec quid simile *Justitiæ* gerit,
Nisi cæcitatem. *Thib.* Quanta cruciatûs ruit
In me cohors! *Jul.* Probate vos, superi, deos
Levando pœnas, si parùm inflictæ probant.
In me, merentem, transeat paucus dolor:
Durus *Thibaldum* cùm labor morbi tenet,
Mendico partem. Non foret morbus mihi.
Thib. Quò me revolvo? Nescit hic falli dolor.
Jul. Compone membra placidus in quantûm licet.
Olim Camœna placuit ad somni Deum:
Barbiton adesto, illamq; quâ potes, occine
Soni Venere. *Thib.* Cùm barbiti harmoniâ malè
(Hei) fibra discors concinit. *Jul.* Multis fuit
Loco medelæ Musica: haud vanè Deus
Vtriusq; *Apollo* creditur.

CANIT.

Huc Cupidines volate,
Mille centum, centum mille,
Et vos tota circunstate
Turba Venerum: donec ille

Ducat

Ducat medicos sopores;
Et dediscat hos dolores.

Si vis, Morpheu, *te colamus,*
Ut mereris, hosce bellos
(Quos vel nostris plus amamus)
Citò comprimas ocellos.
Citò comprimas optamus:
At nos serò Comprimamus.

Thib. Summam manum
Iulitta præbe. Pectus absumpsit dolor.
Mors urget instans. *Iul.* Ergo mors instat mihi.
Thib. At longiorem fata tibi vitam dabunt;
Fæliciorem fata tibi vitam dabunt.
Cur vis mori? pulchella es. Hoc noscas decet.
Gemmas quot Oriens, ipsa tot formas habes.
Amante nunquam caruit, aut unquam decor
Carebit. *Iul.* Eheu! repperit amantem nimis.
Hinc duplicatur ratio pereundi: libet
Mori, procantem fugere quò possim: deos,
Cælumq; testor, timeo ne in amantem incidam.
Thib. Ten' liberari mortuam à *Pharamo* putas?
Ad fata cum poscetur ob varium scelus,
(Nec vivere diu Numina sceleſtum sinunt)
Te persequetur: Vmbra & illius tuam
Amabit umbram. *Iul.* Nostræ at ascendant polos

Animæ: recipient ſuavia Elyſij loca.
Illum graveolens Orcus, ac Erebi nigræ
Sedes tenebunt. Ne quidem noſtras erit
Fas videat oras. *Thib.* Propriam quanto necem
Fervore poſcit! blanda non aliàs mihi
Vitam precatur, petere quàm debet ſibi.
Cavete, Superi, chara ne merces precum,
Quas illa vobis mittit, auriculas emat
Veſtras, &, animam longiùs, detis, traham. *Exeunt.*

Dom. Di. Gom.

Scena 8ª

Di. AT at *Thibaldum* pol novum morbi genus
Diſcruciat. *Gom.* Arti dedecus medicæ parat;
Ne nomen ipſum novit. *Dom.* At peſtem voca:
Mox nos habebit. *Gom.* Vnde tu mentes deûm?
Dom. Imò hos dolores minimè cælorum reor
Opus: Canidiæ ſuſpicor. *Gom.* Vanè ſatis.
Dom. Ædes *Velaſci* furcifer crebrò ſubit,
Qui ſagæ habetur natus. *Gom.* Haud video ſatis
Quorſum hoc *Velaſcus*. *Dom.* Video Rex quorſum petat.

Di.

Di. Hinc ſe potiri poſſe *Julittâ* putat
Impunè. Quem ſceleribus apponet modum!
Mors patris illi ſtruxit ad ſceptrum viam;
An fratris illi paritèr ad thalamos ſtruet?
Quæ monſtra ab illo principum orientur, ſcelus
Quem principem, quem reddit & patrem ſcelus!
Gom. Etiamne noſtras ille *Julittas* amat?
Quid nos meruimus? cauſa quæ mortis datur?
Dom. Tyrannus hoc cum milite ignavo obtinet,
Superſtite uno partis adverſæ ſibi
Nullam ut ſalutem ſperet. *Di.* O ſuperi (volant
Ad vos jubentes macra Fatorum cohors.)
Vnde eſt, quòd auras *Pharamus* etiamnum bibat?
Quò plura poſſit ſcelera, quo ſacram minis
Laceſſat innocentiam. *Dom.* Nemeſis malè,
Anus, retardat cui graves ſenium pedes,
Veſtræ Vltioni, Cælites, aptè magis
Hermes præeſſet alipes. *Exeunt omnes.*

Chorus Civium.

Deflent immaturum Olindæ fatum, nec non profligatos ſæculi mores.

Occidit, eheu, patriæ præſens
Spes, Pax, certa ſaluſq; futura,
Quæ ---- Numerare veremur in unâ

Quantum fecimus omnes damnum.
Sed quid in uno hæremus planctu?
Vertimus aliò lachrymas. Virtus
Defuncta vices fletûs poscit.
Ubi nostrorum pietas patrum?
Vbi simplicitas? versa horarum
Tessera, & ordo? vivax vitium
Stamina ad ultima protrahit ævum.
Lux virtuti brevis effulget.
Canam antiqui posuere Fidem;
Hodiè juvenem ponere fas est:
Nec jam veneranda decent ora,
Nisi quòd ætatis præteritæ,
Nec præsentis siet. Alfonsus
Cecidit ultimus (hei) cana Fides.
Nimiùm ô nimiùm infelix patria!
Te mox quanta rotabunt fata!
Vitium tanquam fumus, odorve,
Forsan tenues escas præstat,
Non ad robora, sed moram ruinæ.
Virtus unica regnum nutrit;
Et in omne ævum durare facit.

ACTUS QUINTUS.

Scena Prima.

Velas. Str. Gryph.

vel. QVid exaudio?
Vota, plausus de sanitate *Thibaldo*
Restitutâ conceptos? quàm miscentur campanæ,
Quàm crepitant ignes len totum in gaudia
Effundentem se populum! siccinè in mortem agitis
Thibaldum, furciferi? per salutem conficitis?
Quin faxo, pereatis aliter vos. *Gryph.* Pol iratus est;
Quidni eam intrò clam? *Str.* Mitiùs nos. Mors Lami-
Præripuit invida, carmenque periodum habuit: (am
Nec quid in illum sanè nos porrò potuimus.
vel. Oportuit me immortalem occupâsse in re
tam seriâ.

propere

Properè vos ducite à me. *Thibaldus* convaleſcit iterum?
Parùm abeſt, quin artus meos furibundus diſtraxerim.
Apagite nî---- *Str.* Eheu quantâ de ſpe miſelluli
Decidimus! *Gryph.* *Pluto* à *Plutone* malè pereat
Qui tam avidè nobis hinc abripuit *Eriſilam.*
Str. Equidem benè viſum eſt mihi, honeſtè ut vivam
Extempulò, quo meâ illunc defraudem animulâ,
Qui precipitantèr adeò matrem meam ſibi voluit.
Exeunt. Str. Gryph.
vel. O parca tantùm Fata, quò noceant magis.
Matura pœnè meſſis, in tantam mihi
Quæ creverit ſpem, moritur; adverſæ malo
Percuſſa ſortis ſydere. Haud alitèr ſuis
Cum proximum laboribus finem videt,
Subtilis Alchymiſta ſpes caſſas doleț.
Retexitur proh! tela, quam hoc nevit caput,
Tantique perijt irritus cerebri labor. *Exit.*

Thib.

Thib. Pis. Dom. Di. Gom.

SCENA 2ª.

Thib. O Tu diei ratio, tu flammæ pater,
Lucisque præses : flammeum cohibe jugum,
Nec tam citatâ tende in occasum rotâ;
Longo fruatur mundus, haud multo die.
Ne fama quantum temporis cædem patris,
Meamque divisisse vindictam sciat,
Inersque natus audiam. *Pis.* Egregiè patrem
Iamjam, *Thibalde*, es ultus occisum. Malè
Quam parricidæ est! semper expectat, timet.
Cum facere nequeas pereat ut *Pharamus*, (nece
Quod gravius omni) vivat ut miserè, facis.
Di. Timere forsan possit, at mortis tamen
Præclusit aditum. Regia haud ulli patet,
Nisi sit inermis pœnè ad externam cutem.
Nec vina sapit, aut epula, nisi cautè prius
Gustata. *Dom.* Nobis ergo vigilandum est magis.
Qui se tuetur optimè, aliquando patet
Plagæ. *Di.* Timor quin dormit ad leporis modum.

Apertus oculo. *Thib.* Sic erit. Amici, via
In regiam pandetur, & Regis ſinum.
Iulitta finget velle ſe *Pharami* thoros.
Dom. Nec pol *velaſcum* ſentio ferendum: *Thib.*
Fave
Verbis: loquuta hæc gemmula hiſtoriam eſt---volo
Prêndatis illum. *Dom.* Fallitur vulpes anus.
"Eia ſceleſti, ſapite: contextis fabrè
"Incumbite Dolis; Innocens ſolus ſapit.
Exeunt Dom. Di. Gom.

Manent Thib. Piſ. ad hos Jul.

SCENA 3ª.

Jul. NAtura pictrix (ſiquidem viſum tibi eſt
Vt tingat illam candor, hanc partem rubor;)
Quid me tabellam, quid tibi vivam velis?
In oſſium, carniſque cur ſurgo ſtruem?
Materia fragilis, quam dolor mutat, dies
Quam diſcolorat, quamque mors nullam facit;
Cur arte tantâ pingor? En opifex Dea!
Quantum pyropus hic rubet; quantùm (vide)

Hic

Hìc rutilat adamas. Hæ diù fucum gerent
Tabulæ: artificij longa durabunt tui
Monumenta. Cupio ſcire conſilium tuum,
Commune Numen, ipſa cur Virgo fui:
Cur noluiſti, ut ſaxeos vultus feram?
Fœlix pyropeeſ, & mihi invidiam moves
Adamas: pudicos eſſe nam vobis licet,
Nec caſtitati Rex dolos veſtræ ſtruit.
Votum & laborem agnoſco vos Nautæ: freta
Tranſcurrit, ardenteſque terit Indi plagas:
Quò vos tamen captiyet, in pretium ſibi,
Vſumque, nec libidinem in turpem trahat.
Sic me licebit, ambiat *Pharamus:* feram
Vendi: inter hoſtes barbaros mitti: libens
Serva famulabor vilis, & quicquid trucis
Furor Tyranni poſſit, amplectar; mihi
Dum virginis honos, Caſtitas ſalva ut ſiet.
Thib. Quæ te fatigat cura? quis pepulit dolor
Genis ruborem? *Iul.* Miſera quid faciam? locus
Quis mihi ſalutem præſtat? heu! donis, prece,
Me adhuc laceſſit *Pharamus? Thib.* An *Pharamum* cupis
Vitare? ad ipſum confuge: ipſius thoros
Ambi. *Jul.* Nefandum hoc optimus ſuade tvirûm,
Thibaldus? atqui leno tu *Pharami* es: tibi
Provincia eſt, ut Regis ego pellex ſiem:
Victoriam ſperare quò turpem audeas,

Fingis

Fingis *Thibaldum*: *Thib.* Nil mali eſt. Voto annue.
Iul. Imo, *Thibalde*, ſurda non *Pharamo* magis
Nunc ſum, futura quàm tibi poſthæc. Vale.
Thib. *Iulitta*----- ſiſte. Valida ſat ratio jubet.
Iul. Vt mœcha ſim? *Thib.* Per omne quod
pulchrum eſt, levi
Ne vel digitulo *Pharamus* attinget: tibi
Adero redemptor. *Iul.* Aut erit ferrum mihi.
Exeunt omnes.

Velas. ſolus.

SCENA 4ta.

QVin ille gelidus exulet ſerpens, dolor;
Caliduſque foveat gaudij motus ſinum:
Lætitia mentem purget, & hilaritas meos
Colore ſpargat florido vultus. Tulit
Abundè functus ingenî, (eximiæ ſpei
Agnoſco) fœtus. Facta jam ſterilis parens
Prolem ſepultam lugeat: noſtrum decet
Cerebrum triumphet, ut cui inexhauſtus vigor,
Immenſa virtus, cuique non ullo die
Partus deeſſe poſſit. An damnum facit

perempta

Perempta *Pallas* dum *Iovis* cerebrum manet
Iuvenile, vivax? excidit virtus prior:
Secunda paritèr excidat: iniquam libet
Laſſare ſortem: tertium opponam dolum,
Quartam deinde machinam. Fatum fremat,
Cieat procellas: noſtra non unâ ratis
Spei tenetur anchorâ.

Servus feſtinantèr.

SCENA 5ta.

HEus! quonam pede
Vultuque properas? *Ser.* Mitte me, vereor gravè
Ne ſumma feſtinatio mora ſit. Dapes,
Scenas, triumphos, Muſicam in noctem paro:
Iulitta Regi nempe, (ſermoni vacò?)
Mox aderit hoſpes.

Exit ſervus.

Vel. O ſalutarem Deam
Sortem, ô benignam! lingua te læſit mea,
Curamque noſtri non ſatis novi tuam.
Agnoſco tandem Numinis præſentiam.

Vitæ

Vitæ *Thibaldo* longius filum trahis,
Hoc fine tantum, cædat ut fratrem priùs. *Exit.*

Phar. Julit. lauro redimiti

SCENA 6ta.

Dum thronum mutuis junctì amplexibus accedunt Chorus Musicorum occinit.

Viden', Daphne, viden' nexus
Arctos, fœliceſq; amplexus?
Sat agnoſcin' lauro cinctas
Frontes, baſijsq; tinctas
Genas? Abi. Et luge ſatis,
Quantis excidiſti fatis.
Baſia proco ſi dediſſes,
Laurus facta non fuiſſes,
Lauro Cincta ſed prodiſſes.

Phar. Ascende ſolium pulchra Majeſtas: thronum
Naſcendo pulchra abundè meruiſti: novis
De te ominari fas vel in cunis erat
Olim futuram principem; ſummæ nefas
Formæ puellam non ferat ſummus virûm:

Sic

Sic virginem, cui forma præ reliquis fuit,
Talassio Romanus in sortem tulit.
An ergo frater (ambitus præceps!) amas
Quam deperire solius nostri est? lues
Ausum. Corona insignitèr pulchra est, (age)
Cur non & illam deperis? *Iul.* Iram Rege;
Quid frontis arcus, haud in has natæ minas,
Torvus tuetur? Vnde Majestas tibi,
Quamvis Serena, turbidos motus habet?
Phar. Quòd te potiri jam datur. *Iul.* * Nondum datur?
Meos petîsti precibus assiduis thoros.
Phar. Constantiore debui voto tuos.
Iul. Petita placeo, adepta vilesco tibi?
Phar. Ira est, quòd olim te nequî: serò fruor.
Nisi obstitisset invidus frater mihi,
Fælicitatem nôsset hic plenam dies,
Nec inchoatam: multa jam nostrum *Venus*
Lectum beâsset, pœnèque voluptas gravi
Senuisset ævo, si voluptati modò
Senescere licet. Solus insipiens videt
Quanti sit ipse Dominus, at prudens homò
Quanti esse potuit, debuit quanti æstimat.
Iul. * O quàm profanas audio voces: parùm est;
O quàm profanas edo. *Phar.* Qui impedîst diù,
Turbare nostras usque delicias valet.
Iul. Iras minaces pone. * Cur nondum venis
Thibalde? vereor ----- hei mihi ----- incipiant novi

In pace amores ominis causâ: *Venus*
Non è procellis noſtra natales trahat.
Revocare amores quam benè ante-actos potes,
Impenſiùs colendo præſentes.* Deos
Deaſque teſtor, verba quam averſæ excidunt.
Phar. Julitta vinces. Regis irati loco
Pacatam amantis induo frontem. Sonet
Muſica, capaces impleat vinum ſcyphos:
Haurire nequeo quod mihi dignum ſiet,
Præter labelli cœlicum Nectar tui.

Ad hos Vel.

SCENA 7ma.

Vel. VOſmet beetis invicem longùm precor.
Phar. Sic uſq; grata patruus nobis cupit.
Vel. Intùs juventa nobilis ſupplex manet
Veſtros choreâ ut liceat hymenæos colant.
Phar. Nempe hic chorea eſt: Gratię his ſaltant genis.
Intrent. Inermes. Nolo deliciæ opprimant, *Exit Vel.*
Reddantque me ſalutis immemorem meæ.

Redit

Redit Velaſcus cum Domingo, Dione, Gomera, & quinq; alijs ſaltitantium larvis indutis.

SCENA 8ua.

MActi eſte Iuvenes. Haud gravi motu pedum
Pulſate terram, & aëri vulnus date.
Facitis Amori rem ſatis gratam.

Saltitant, dumq; in certum cadunt numerum gladios è facibus eximunt, & pars Pharami *pectus transfodiunt, pars injiciunt* Velaſco *vincula.*

Mihi
Opem ſatelles. prodor. At ſeram voco.
Morior.

Intrat Thibaldus. Piſanus.

SCENA 9na.

IVl. *Thibalde?* Phar. Vita pauliſper mane.
Videam *Thibaldum*: ſæve, meruiſſem niſi
Frater, Sed erro. hoc facinus occiſi eſt patris. *moritur*

Omnes

Omnes. Vivat *Thibaldus* Rex *Calabrorum*, diù
Hæc sceptra teneat. *Vel.* Numina (fateri pudet)
Vicistis. Imò vivat & sceptrum diù
Teneat *Thibaldum*, pœnè dixissem meum.
Cupidinem videte qui *Pharamo* faces
Accendi amoris: Sustulit *Olindam* mea
Manus: *Thibalde*, tormina tulisti meas
Olim per artes: omnia hæc facto mea. (serè priù
Thib. Trahite hinc profundum in carcerem, ut mi
Vivat, miseriùs dein cadat. *Iul.* Pietas Deûm!
Prodest libido. *Thib.* Vidue (sic fari libet)
Amice, consors digna te ô utinam foret.
Pis. *Thibalde*, liceat usque amicitiâ frui
Vestrâ: hæc abundè digna me consors. *Thib.* Pedes
Alió feramus. Tecta quàm superûm manus,
Quàmque involuta est! scelere punitur scelus,
Libido cædem vindicat. Moniti Deos
Ne temnite, mali. Discite cui Ambitio thronus,
Non sorte ferri sceptra, divinum decus
Nullis parari viribus. Cunas habes
A Rege quisquis, cuique debetur thronus,
Discite imminorari donec in frontem cadat,
Nec rape Coronam, *Flava per solem Ceres,*
Matura nutrit, cruda & immitis necat.

Exeunt omnes.

FINIS.